C. CILNIUS
MÆCENAS

SCEAUX. — EX TYPIS M. ET P.-E. CHARAIRE.

C. CILNIUS MÆCENAS

C. OCTAVIANO AUGUSTO

AD ADIPISCENDUM GERENDUMQUE PRINCIPATUM
QUANTUM PROFUERIT

THESI

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPOSITA

DISQUISIIT

ANATOLE FEUGÈRE

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE ACADÉMIQUE
DIDIER ET Cie, LIBRAIRES-ÉDITEURS
35, QUAI DES AUGUSTINS, 35

1874

DOCTO ET DILECTO VIRO

G. DEMANTE

IN PARISIENSI JURIS FACULTATE PROFESSORI

GENER PIUS ET MEMOR

D. D. D.

PROŒMIUM

Præsentem hunc libellum inchoantes, non id nobis proponimus ut totam C. Cilnii Mæcenatis vitam ex ordine evolvamus; quodquidem, quum pauca admodum antiqui scriptores de illo tradiderint, ne tentari quidem posset. Nec magis placet hominis indolem privatosque mores describere, ut, aut virtutes ad laudandum, aut vitia ad obtrectandum exsequamur : quod in utramque partem sæpius jam factum iterare nunc et recantare inutile esset, imo et fastidiosum. Non autem ita alienum visum est, si ex iis, quæcunque de Mæcenatis ingenio et rebus gestis nota vulgataque sunt, id potissimum colligere possemus et dilucide explanare, quantum ille C. Octaviano Augusto ad summam potestatem, aut invadendam, aut retinendam, aut exercendam, profuerit.

Nempe Mæcenatis familiarissimam cum Octaviano Augusto consuetudinem, tum Virgilii, Horatii multorumque aliorum susceptum ab eo patrocinium, nemo est qui non noverit. Sed eum ad res publicas sæpissime sese contulisse, et in iis quæ ad civilem prudentiam pertinent primas post Augustum partes tulisse, ple-

rique aut male exploratum habent, aut etiam vix suspicari aliquando videntur. Quanquam neminem forsan reperire est qui aut majorem rerum mutationem in civitate viderit, aut in molienda absolvendaque illa ipsa mutatione majorem operam consumpserit. Id autem proprium ac peculiare Mæcenatis fuit, ut non tam armis et militia præstaret quam consilio et prudentia et calliditate : quæquidem omnia, si non minus in rebus humanis valent, minus tamen splendoris habent quo æqualium posterorumve oculi perstringantur. Quantum Agrippa Augusto profuerit, omnibus patet : quantum profuerit Mæcenas, multos fugit. Nam quidquid militando, pugnando, vincendo bene feliciterque gesseris, apertum est et quasi in conspectum cadit : consulere, providere, cavere, in secretis conciliis suadere aut dissuadere, iratos placare, invidentes et suspiciosos ad benevolentiam fiduciamque revocare, ea sunt quæ neque intueri, neque nosse, nisi quadam conjectura et velut divinatione, possimus. Sed ea quoque divinatio est cui haud impar reperiatur si quis non tantum quæ res evenerint didicerit, sed quid sibi velint intellexerit, quomodo aliæ ex aliis nectantur perspexerit, quantum denique eas hominum consilia et voluntates præmoliantur iisque moderentur, dijudicaverit.

Hujus modi indagationem prope nullus eorum, qui de Mæcenate scripserunt, iniit. Nam, ut illos omittamus qui perpetuam rerum romanarum aut saltem Augusti principatus historiam aggressi, Mæcenatem nonnisi quadam ex parte attigerunt, si ad illos nos contulerimus qui de uno Mæcenate libros condidere, *Meibomius* id tantum persecutus est, ut omnes veterum auctorum

locos, ubi mentio aliqua Mæcenatis facta esset, excerperet et quasi congereret : de quibus longas et subobscuras disputationes plerumque instituit, non sine multis atque interdum inflatis Mæcenatis laudibus, ita ut in opere illo omnia mixta sint et implicata, operis autem auctor nunc laudatorem, nunc grammaticum, prope nusquam vero narratorem, nedum *criticum*, agere videatur. Qui dehinc de Mæcenate scripserunt, ut *Giac. Cenni* apud Italos, *Richer* apud nos, Meibomium quasi ducem et auspicem secuti sunt, nisi quod paucioribus verbis materiam absolverunt. Nostra ætate, apud Germanos, doctus vir et litteratus *Frandsenius* longum et amplum de Mæcenate librum composuit. Quamvis autem Meibomii infitietur auctoritatem et sæpissime ab eo dissentiat, in pleraque Meibomii vitia inscius delabitur. Nempe apud eum quoque multæ sunt de veterum auctorum testimoniis disputationes, quibus intercisa narratio confusi aliquid habet et operosi, ita ut facile indicia deprehendantur germanicæ cum Meibomio cônsanguinitatis. Tamen, Frandsenii liber multum in se continet eruditionis, qua operibus de Mæcenate antea scriptis quædam adjiciuntur et nonnulli errores corriguntur. Sed postquam librum eumdem perlegeris, huic nostræ quæstioni, quatenus statuendi principatus ordinandæque reipublicæ Mæcenas particeps fuerit, unde respondeas non habebis. Quod quidem sæpius Frandsenius nuntiat se quæsiturum : sed eam spem quoties nobis injicit, toties fallit, quum prope semper confiteatur e veterum auctorum locis, qui ad Mæcenatem spectant, utpote sparsis ac minutis, nihil demum certi colligi posse.

Nostrum igitur erit, non aliquid novi de Mæcenate

afferre, sed ea quæ a veteribus tradita, a recentioribus excerpta illustrataque sunt, pro indiciis tenere, quibus quod supra diximus anquiramus : in quo si non omnino certa, saltem simillima certis assequemur.

Sed priusquam ad hanc nostram disquisitionem veniamus, placet præcipuos eorum, qui de Mæcenate opera ediderunt, enumerare, quos post Meibomium et ante Frandsenium multos fuisse videmus.

Imo jam ante Meibomium auctor quidam Hispanus, nomine *Joannes Paulus Martyr a Ryzo* vitam Mæcenatis scripserat (1626) : quodquidem opus fictis et commenticiis rebus confertum, judice Meibomio, nihil habet auctoritatis.

Ipsa prope Meibomii ætate, opusculum aliquod editum est quod cum hoc nostro duplicem videtur similitudinem habere, quum et *thesis* sit, et ita inscribatur : *Mæcenas seu consiliator regius, ex Dion. lib.* 52 *expressus, et in Acade. Argent. ad solenne examen propositus, moderatore Jo. Henrico Bæclero Prof. Publ., respondente Friderico Barnewitz equite Dano. Ann. Christ.* 1643. Satis autem habuit *Barnewitz* si hanc Mæcenatis, quam apud Dionem legimus, orationem in partes subtiliter distingueret ac dispiceret, ut Mæcenatem cum præceptis Aristotelis de regendis civitatibus omnino congruere atque « omnem monarchici imperii rationem et arcana suggerere » ostenderet.

Meibomii operis ea est inscriptio : *Meibomii Mæcenas, sive de C. Cilnii Mæcenatis vita, moribus et rebus gestis liber singularis.* Accessit C. Pedonis Albinovani Mæcenati scriptum Epicedium, notis illustratum. Lugd. Batav., apud Jo. et Dan. Elsevier, 1653 (in-4°).

Adde *Henr. a Seelen, Analecta ad Meibomii Mæcenatem.*

Necnon duas de Mæcenate *Disputationes*, et quatuor de eodem *Exercitationes academico-politicas Andreas Rivinus* composuit.

Multi Itali scriptores ad Mæcenatem, quasi ad suum, se contulerunt, inter quos in primis memorandi sunt :

Cesare Caporali. Rime, overo vita di Mecenate, con l'osservazioni di Carlo Caporali, Venetia, 1673, in-12.

Giac. Maria Cenni. Della vita di Gajo Cilnio Mecenate livri II. Roma, 1684, in-8°.

Francesco Dini. Dell' origine, famiglia, patria ed azzioni di Gajo Mecenate, dissertatione storica, con la difesa di Mec. da varie imposture di Seneca. Venezia, 1704, in-8°.

Storia di C. Ciln. Mecenate dell' avvocato Sante Viola. Roma, 1816.

Di un busto colossale in marmo di Caio Cilnio Mecenate scoperto e posseduto dal cavaliere Pietro Manni; Illustrazioni dei Signori P. E. Cavaliere dei Visconti, Commendatore Leopoldo Cicognara, Melchiorre Missirini, Raoul Rochette. Parigi, 1837.

Apud Germanos, anno 1744, editus est liber inscriptus : *Versuch einer Lebensbeschreibung an der weltberuffenen Person des Mæcenas, des ehemaligen grossen Freundes des Kaysers Augustus;* cujus auctor fuisse dicitur *Bennemann.*

Mæcenatiana, sive de C. Cilnii Mæcenatis vita et moribus scripsit atque operum fragmenta, quæ supersunt, collegit Albertus Lion, Phil. Dr. Gottingæ, 1824.

Frandsenii opus jam memoravimus ita inscriptum :

C. Cilnius Mæcenas. Eine historische Untersuchung uber dessen Leben und Wirken, von P. S. Frandsen, Professor am Gymnasium in Altona. Altona, 1843.

Jam nullum alicujus momenti opus videmus quod memorari debeat, nisi apud Britannos, *The Life of Mæcenas, with critical, historical and geographical notes, corrected and elarged by Ralph Schomberg, London*, 1766, in-8° ; apud nos autem, *Richer*, *Vie de Mécénas*, *avec des notes historiques et critiques*, Paris, 1746, in-8°, et *Souchay*, *Recherches sur Mécénas* (Acad. Inscr., t. XIII, ann. 1734).

Nam historicos qui de rebus romanis scribentes Mæcenatem obiter attigerunt, tum Virgilii, Horatii ceterorumque interpretes, etsi inspiciendi sunt sæpius et inter se conferendi, ne diutius huic enumerationi immoremur, prætermittimus [1].

1. Huic opusculo prope jam finem imposueramus, quum doctissimus vir, quem nobis magistrum fuisse gratissimo animo recordamur, *Jules Girard*, ex cathedra de Mæcenate callide disseruit. *Revue politique et littéraire*, 27 décembre 1873. *Sorbonne. Poésie latine. Leçon d'ouverture. Horace et Mécène.*

CAPUT I

QUÆ PRIMA FUERINT C. CILNII MÆCENATIS IN C. OCTAVIANUM AUGUSTUM MERITA

Quando Mæcenas cum Octaviano amicitiam junxerit, non liquet. Multi arbitrati sunt fuisse utrique in urbe Apollonia studiorum societatem. Hæc autem mera suspicio est, et ea quidem haud ita probabilis, quum Mæcenas Octaviano satis multo major annis fuisse videatur [1]. Narrat autem Appianus Octavianum, non modo ut litteris studeret, sed ut ad rem militarem sese informaret, a Julio Cæsare Apolloniam missum [2]. Qua in urbe quum versaretur, hiemantes equitum turmas in propinquo habebat, jamjam adversus Parthos cum reliquo exercitu, in Macedonia tum coacto, sub Julii Cæsaris auspiciis profecturas. Quæ circa ipsam Apolloniam interdum veniebant, ut Octavianus obequitantes eas spectaret et recognosceret. Quin imo nonnulli duces invisere adolescentem assueverant, quasi futuram ejus magnitudinem jam præsagirent [3]. Si Apolloniæ, ut putatur, Mæcenatis cum Octaviano amicitia initium cepit,

1. Vid. Frandsen, pars I, cap. 3, pag. 19, cap. 4 et cap. 11, p. 51.
2. App. *Bell. civ.*, III, 9.
3. Id., ibid.

libenter crediderim Mæcenatem, equestri ordine, et tunc juvenem, in illo exercitu militavisse, ac potius inter eos qui sæpe Apolloniam, ut Cæsarem inviserent, ventitabant, quam inter æquales et studiorum socios, esse annumerandum.

Quod quidem parum refert. Hoc tantum scimus statim post Julii Cæsaris cædem Octavianum C. Cilnio Mæcenate familiariter usum fuisse. Bello enim Mutinensi, quo initium armorum Octavianus fecit, interfuisse Mæcenatem Propertius monet [1].

Licet illud quoque incertum sit, quomodo primis illis temporibus Mæcenas Octaviano adjumento fuerit, quædam tamen possumus conjecturâ augurari. Ac primum, Mæcenatis consiliis Octavianum statim innixum esse, credendum. Vix nonum et decimum annum Octavianus attigerat, quum ei allatum est Julium Cæsarem periisse. Quamvis præcoci ingenio præditus esset, aliquem ei exstitisse tam prudenter, tam callide agendi auctorem, vix in dubium venire potest. Ad juvenilem audaciam sane referatur illa alacritas, qua, vetante matre, dissuadentibus plerisque amicorum, Apollonia decedit, navem conscendit, Italiam petit. Quis vero adolescentulum, primo ambitionis ardore flagrantem, admonuit Brundusium vitaret, incertos militum ibi congregatorum animos caveret, et ad parvulum quemdam ignobilemque portum, Lupias nomine, appelleret [2]? Quis eum cauta illa prudentia instruxit et paratissima, qua omnes difficultates superavit, omnia pericula effugit, animos nunc comitate conciliavit, nunc minis terruit,

1. Prop. *Eleg.* II, 1.
2. App. *Bell. civ.* III, 10.

nunc dissimulatione delusit, et jam præreptam ab Antonio Julii Cæsaris hereditatem sibi denique vindicavit? Quarum omnium rerum suasorem et monitorem Mæcenatem fuisse comprobare nequimus : illud tantum contendimus, consiliis et præsidio Octavianum in difficillimo illo potestatis suæ incremento eguisse : neminem autem reperiri posse, nisi Mæcenatem, a quo consilia et adjumentum acceperit. Nam ab Agrippa, altero inceptorum socio, magis in militando scimus eum quam in consulendo adjutum.

Quod si ad Mæcenatis genus et ordinem respexerimus, quantum Octaviano prodesse jam tum potuerit, facile intelligemus. Equestri ordine gens Cilnia erat, et in eo quidem plurimum pollebat. M. Tullius C. Mæcenatem quemdam inter illos equites romanos annumerat, qui legem suo ordini molestam et judicum libertati incommodam a Druso tribuno plebis et a nobilitate ferri non passi erant; quos propter suam in resistendo constantiam magnifice laudat M. Tullius et « robora populi romani » vocat [1]. Quanta igitur fuerit illius C. Mæcenatis apud equites auctoritas, quis non videt? Eumdem vero Mæcenatis nostri aut avum fuisse aut patrem multi crediderunt, neque ulla causa est cur infitias eamus. Sanguinis certe utrique conjunctionem fuisse pro certo habendum. Præterea, avorum tum nobilitate, tum rebus gestis quam conspicuus Mæcenas fuerit, Horatius, Propertius, multique alii nos docent. Fama erat eum « atavis regibus [2], » Etruriæ quondam Lucumonibus, editum

1. Cic. *Pro Cluentio*, 56.
2. Hor. *Carm.* I, I, 1.

esse, inter quos Porsenna vulgo numerabatur [1]. Neque omittendum, in plurimis illis poetarum locis, quibus Mæcenas propter generis claritudinem prædicatur, equitem quoque eum appellari, et propterea laudari quod eques sua voluntate remanserit.

> Mæcenas, eques Etrusco de sanguine regum,
> Intra fortunam qui cupis esse tuam [2]...

ait Propertius. Quæ omnia si consideraveris, haud temerarium videbitur inferre, equitibus fuisse unde superbirent, quod virum regali stirpe oriundum in suo ordine viderent, Mæcenatem vero, quum excellentissimus inter equites haberetur, maxima apud eosdem auctoritate prævaluisse.

Quod ut nostrum propositum assequamur multum interest. Eo enim tempore, quo libertas populi romani vetusque disciplina consenescebat, equestris ordinis potestatem plurimum crevisse constat. Scilicet, quum perpetuis discordiis civitas laboraret, medium quemdam et insigniem inter Patres plebemque locum equites obtinuere; quorum alii in exercitibus prima munera exercebant, alii judiciis in Urbe fungebantur, alii in provinciis tributa et vectigalia exigebant, plerique opibus et divitiis abundabant. In illis igitur labantis reipublicæ robur et unum libertatis subsidium esse Cicero ratus, defensorem eorum et veluti ducem haud semel se gesserat [3]. At Ciceronis spem equites multum fefellerant, quippe qui adeo non ab unius dominatione abhorrerent,

1. Vid. fragm. *Epist. Augusti ad Mæcenatem* ap. Macrob. *Saturn.*, 2, 4.
2. Prop. *Eleg.*, III, 9.
3. Nempe ipse Cicero *homo novus* erat, et, ut ait Juvenalis, *municipalis eques*.

ut iis præsertim Julius Cæsar esset innixus. Nam quum ad quæstum et mercaturas magis in dies se dedidissent, nullam vero de civitatis forma præjudicatam opinionem haberent, et commodis tantum inservirent suis, nihil amplius quam securam, uno imperante, pacem exoptabant. Ad hæc, intelligebant fore ut qui dominatione potiretur Patrum auctoritatem pariter et jura plebis imminueret, ideoque mutatæ reipublicæ fructus ad nullum alium ordinem, nisi ad equestrem, perveniret.

Quæ quum ita essent, occiso Julio Cæsare, non in Brutum Cassiumque equites propensi erant, sed in eum quicunque Cæsaris dominationem aut exciperet, aut restitueret. Ubi vero M. Antonius Cæsaris ultor idemque successor fore visus est, quicunque Cæsarem desiderabant Antonio favere cœperunt [1]. Hoc opus C. Octaviano fuit, et illud quidem arduum, amicorum Julii Cæsaris studia ab Antonio ad se revocare. Inter quos quum equites præcipui essent, abs dubio est quin Mæcenas, magna illa, quam diximus, apud ordinem suum auctoritate fretus, ad ingenia C. Octaviano concilianda multam vim habuerit.

Nec mediocre commodum adolescens ex equitum benevolentia percepturus erat, a quibus potissimum pecuniam mutuari posset, cujus post Julii Cæsaris mortem maxime indigebat. Multi enim fuere et prope infiniti sumptus quibus aut sufficere illum necesse erat, aut omnem grassandi ad principatum spem amittere. Primum maximas pecunias populo romano Julius Cæsar legaverat; quam testamenti legem Octavianus, Julii Cæsaris heres, neque

1. Vid. Cic. *Philipp.* VI, 8.

eludere poterat, neque maligne aut sordide exsequi. Largitionibus igitur non pepercit, quibus se et voluntatum defuncti Cæsaris observantissimum esse, et civium commodis studiosissime consulere testaretur. Quid dicam de pecunia in comitiis per ambitum profundenda, de explenda veteranorum avaritia, de militibus per emptionem magis quam per delectum scribendis [1]? Vendidit quidem et sua, et matris, et Philippi, cujus privignus erat, prædia : habuit igitur unde primæ necessitati, non unde tot tantisque sumptibus subveniret; ut illa venditione minus eum ad quæstum quam ad ostentationem respexisse suspicemur. Quibus in angustiis esset, satis ostendit oratio illa, qua, Romam ingressus, M. Antonium statim, si Appiano credideris, compellavit. Namque in eum, quem jam æmulum sentit, multa subamara locutus, postremo eumdem rogat ut sibi pecuniam commodet [2].

Quis igitur dubitat quin Octavianus æs alienum contraxerit, quo post occupatum imperium sese liberaturus esset, perinde ac fecerat Julius Cæsar? Ut contraheret vero, ad quos potius sese vertisset quam ad equites, pecuniosos plerumque homines, et quæstuosos, et fœneratores? Apud quos et Mæcenatem in maxima fide fuisse, et ex fide eadem multum fructum Octavianum cepisse, si quis putaverit, non magnum, ut opinamur, periculum suscipiet a vero deerrandi.

Præterea veterem Mæcenatis nobilitatem et prosapiam memoravimus. Aretio [3] ortus erat, oppido Etru-

1. Vid. Dio. XLV, 12 ; XLVI, 48.
2. App. *Bell. civ.* III, 17.
3. Macrob. *Saturn.*, 2, 4.

riæ haud mediocri, ubi jam anno U. C. 451, genus Cilnium præpotens fuisse Titus Livius docet [1]. Quum vero poetæ qui Mæcenatem laudaverunt Etruscam hanc originem prope nusquam omiserint, adducimur ad credendum Mæcenati quoque nostro auctoritatem in natali oppido et in Etruria haud minorem contigisse quam proavis. Quod ad rem nostram minime spectare ne quis contendat. In Italia enim prima bella gessit Octavianus; neque tum inutile erat quædam oppida habere, ubi et instruere milites, et reficere, et tutari posses. Multum scilicet interest faveantne tibi populares, an sit in hostico belligerandum. L. Antonio postea quantum fuerit in Perusianorum societate præsidii, quantasque pœnas ab iis Octavianus exegerit, satis notum. In hoc quoque Mæcenatem Octaviani commodis indulsisse putandum est, quod amice adolescens ab Aretinis exceptus fuisse videtur. Cujus benevolentiæ indicium quoddam deprehendimus : quum enim id bellum Octavianus adversus M. Antonium moliretur, quod Mutinense dictum est, et in tota Italia milites conscriberet, Aretium eos convenire jussit, unde adversus Antonium mox cum exercitu profectus est. Proxime ad verum accedit non casu neque fortuita quadam rerum concursione Octavianum, bella civilia auspicantem, ipsam Mæcenatis natalem urbem potissimum elegisse, in quam, quasi in arcem, copias suas contraheret et congregaret [2].

Prima igitur Mæcenatis in Octavianum merita quæ quantaque fuerint, etsi veteres rerum scriptores expresse nusquam dixerunt, suspicari tamen possumus.

1. Tit. Liv. X, 3.
2. App. *Bell. civ.*, III, 42.

Nempe non in illis rebus Mæcenatem versatum fuisse vidimus, quæ, forensi luce velut præfulgentes, fama nobilitantur et memoriæ traduntur : sermocinando; plurimos conveniendo, pollicendo, paciscendo, nomina faciendo profuit; quæquidem, utpote ignobilia et secreta, Mæcenati minorem gloriæ proventum, Octaviano autem non minorem utilitatis fructum attulere.

CAPUT II

QUOMODO MÆCENAS « MAGNIS DE REBUS LEGATUS MISSUS » OCTAVIANO PROFUERIT

Ea nunc aggredimur quæ sequentibus annis evenerunt. In his quoque perpauca tantum et sparsa et brevia antiqui scriptores nobis de Mæcenate tradiderunt; paulo apertius tamen significant quid fecerit.

Errat si quis Octavianum arbitratur vi modo et armis ad summam dominationem sese erexisse : quippe doli, et fraudes, et fœdera quibus æmulos magis ludere solebat quam seipsum obstringere, tantum momenti habuerunt quantum felices bellorum eventus; imo, ut verum omnino assequamur, ipsarum victoriarum tum facultatem dederunt, tum præmia fructumque auxerunt.

Quantis difficultatibus quantisque periculis, quum imperium affectaret, obnoxius Octavianus fuerit, nemo est qui non videat. Julio Cæsari unus obfuerat Cn. Pompeius : cum Bruto et Cassio, cum L. Antonio, Marci fratre, cum Sexto Pompeio, postremo cum M. Antonio triumviro decertandum Octaviano fuit. Adde turbulentam plebem, seditiosas legiones et discordiarum civilium impatientes, secretas in ipsa urbe conjurationes. Maximum autem periculum erat ne omnes illius æmuli,

quanquam et sibi invicem infensi, mutuas tamen inimicitias, ut solet, deponerent, adversus unum Octavianum, sibi omnibus pariter metuendum, arma consociaturi. Hoc vero discrimen, quo plerosque aut summæ potestatis in sua civitate cupidos, aut externarum gentium domitores, in perniciem adductos fuisse videmus, quam dolose et versute Octavianus effugerit, fidem prope excedit; et prorsus omnino excederet, si quis eum unum, nullo consiliorum socio adjuvante, tot laqueis sese expedire potuisse contenderet. Duos videlicet homines habuit, ingenii ut specie diversos ita magnitudine pares, quorum auxilium si defuisset, quæ omnia peregit aut non tentare ausus esset, aut nequivisset conficere. Nam Agrippa armis et prudentia militari, Mæcenas vero noster præstigiis et ludificationibus et falsis denique pacibus effecerunt ut omnes ille æmulos vicissim et singillatim everteret ac de medio tolleret. Quod ad bella et, ad Agrippam spectat, non nostrum est : quod vero ad paces et ad Mæcenatem, id anquiramus.

Supervacuum est memorare quomodo, confecto bello Mutinensi, consulibusque Hirtio et Pansa in ipsa victoria cæsis, Octavianus uni sibi exercitus imperium auspiciumque vindicaverit, a senatu desciverit, et ut Brutum Cassiumque ac ceteros priscæ libertatis fautores, ad spem rursum se erigentes, opprimeret, cum Antonio Lepidoque alterum triumviratum constituerit. Multi tum fuere inter Antonii et Octaviani legatos congressus, multa colloquia, quibus de fœderis conditionibus ageretur, scelestaque societas pararetur [1]. Mæcenatem jam

1. App. *Bell. civ.*, III, 96 ; IV, 2. — Dio, XLVI, 41 sqq. — Plut. *Ant.*, 23.

tum Octaviani legatum fuisse verisimile est : quum autem neque ab Appiano, neque a Dione Cassio, neque ab ullo eorum qui res illas narraverunt, nomen ejus proferatur, hoc prætermittere potius est quam in conjecturis et suspicionibus commorari.

Etiam illa omittimus quæ ad tempus Perusiani belli spectant, quum Ventidium et Asinium Pollionem, in Gallia Cisalpina M. Antonii auspiciis militantes, ad id Octavianus adduxit ne L. Antonio, tum obsesso, auxilium ferrent, utque arbitrarentur nullam esse inter L. Antonii et Marci fratris partes conjunctionem, imo esse L. Antonium fratri infensum. Quodquidem ipsi M. Antonio per blanditias et comitatem ita persuasit, ut ille fratri suo palam vitio verterit quod arma contra Octavianum sumpsisset [1]. In iis quoque mendaciis calliditatem Mæcenatis esse adhibitam putare quidem possumus, comprobare non possumus. Ad ea igitur statim nos convertemus quorum participem Mæcenatem fuisse certis quibusdam historicorum testimoniis compertum est.

Post Perusianum bellum, in maximum discrimen res Octaviani adductæ sunt. Etenim, quamvis M. Antonius se adversus Octavianum arma non ante laturum quam ab eo lacesseretur declaravisset, tamen, incitante Fulvia uxore, ad societatem cum S. Pompeio contrahendam propensior esse videbatur. Quin et matrem Juliam ad se in Græciam a Pompeio missam, ut de ea re ageretur, et benigne acceperat et commode audierat [2]. Nimirum, si S. Pompeius, qui tum maximis classibus

1. App. *Bell. civ.* V, 23, 50, 51, 52.
2. Id., V, 52. — Dio, XLVIII, 16.

præerat, et M. Antonius plurimis navalibus terrestribusque copiis fretus, arma consociassent, de Octaviano actum erat. Eam igitur societatem ut rumperet vel præpediret nihil omittendum esse ratus, tum Pompeium, tum Antonium ad se revocare, aut saltem a bello deterrere, Octavianus quibuslibet artibus conatus est. Primum suam Pompeio matrem Muciam misit, quæ gratiæ reconciliationem pararet [1] : Pompeio vero renuente, ad Mæcenatis opem Octavianus recurrit. Mæcenas non ipsum S. Pompeium, quem alieno animo esse videbat, sed Pompeii socerum Libonem tentavit, litterasque ostendit sibi ab Octaviano missas, quibus ille sororem Libonis Scriboniam in matrimonium petebat [2]. Quod consilium sponte sua Octavianus an Mæcenate suadente inierit, incertum : Mæcenatis saltem opera usus est, qui tanta solertia rem gessit, ut Libo non repugnans, et quasi illectus, ad expediendum negotium suos vehementer sit adhortatus. Scriboniam fuisse reipsa in matrimonium ab Octaviano ductam, quis nescit? Hoc prorsus obliquo et occulto itinere non ad id quidem perventum est ut S. Pompeius veteres inimicitias exueret : peractum tamen ut partes ejus, sejuncto et in tempus abalienato Libone, summæ auctoritatis viro, multum roboris et confidentiæ amitterent. Unde intelligi potest quantæ utilitati Octaviano fuerit hæc conciliatio, cujus Mæcenas, si non auctor, interpres certe evasit felicissimus.

Quum autem nullum ictum esset cum ipso Pompeio fœdus, classesque ejus Italiæ littora vastare non desi-

1. Dio, XLVIII, 16.
2. App. *Bell. civ.* V, 53.

nerent, et vix præsenti periculo Octavianus, nedum metu in posterum, se liberari sentiret, non contumaciter cum M. Antonio agendum esse intellexit. Bellum quidem jam exarserat : nam Antonius, quum Brundusii incolæ prohibuissent ne in suum portum appelleret, eos non sponte sua, sed instigante Octaviano prohibuisse suspicatus, Italiam infestis signis invaserat, ipsumque Brundusium obsidebat. Admoverat et Octavianus exercitum : sed utrinque inviti ducem suum secuti erant milites, et a pugna abhorrebant, pacemque reclamantes efflagitabant. Quam seditionem, tam opportuno tempore ortam, haud scio an ipse Octavianus per homines ad eam rem compositos clam concitaverit; certe sibi in commodum solertissime vertit. L. Cocceius, quo et Antonius et Octavianus familiariter utebantur, medium inter eos se gessit : necnon legati a militibus designati sunt, pacis interpretes, qui sibi Asinium Pollionem Antonii, Mæcenatem Octaviani amicum adjunxerunt, ac summam universi negotii ad eos detulerunt. Fuere igitur Mæcenas et Asinius Pollio qui de conditionibus fœderis, auspice L. Cocceio, agerent [1].

Pax circa Brundusium composita est : quam, etsi necessitate ac metu periculi magis quam voluntate Octavianus ad eam accesserat, tamen cum ejus commodis et consiliis adeo congruisse videmus, ut facile perspiciatur quam feliciter Mæcenas propositum sit assecutus. Primum impetratum ut Antonius Pompeium juberet bello abstinere neque extra Siciliam arma gerere. Jussum quidem Pompeius superbe despexit; sed, quod

1. App. *Bell. civ.* V, 56 sqq. — Dio, XLVIII, 27-30.

Octavianus maxime exoptabat, formidolosa illa inter Antonium Pompeiumque societas ita infracta est ac discissa, ut Pompeium jam non tanquam amicum, sed tanquam hostem Antonius haberet. Nam pace apud Brundusium icta convenit ut bellum adversus Parthos Antonius susciperet, bellum adversus S. Pompeium Octavianus; quasi inter se, quemadmodum provincias et imperium, ita hostes subigendos bellaque conficienda dividerent.

Ea prorsus divisio erat quæ Octavianum voti compotem omnino efficeret; nihil enim vehementius cupiebat quam ut Antonius Italia decederet, in Asiam ad longinqua bella velut relegatus. Nempe constituerat adolescens bellum adversus S. Pompeium, quamprimum posset, gerere, ita autem gerere ut Antonium neque hostem haberet, neque socium : namque eum vix minus metuebat participem victoriæ quam auctorem cladis. Scilicet meminerat post pugnam apud Philippos habitam qua uterque contra Cassium et Brutum decertaverant, omnem laudem omnemque militum gratiam ad unum M. Antonium cessisse : parum igitur placebat novam æmulo adaugendæ potestatis occasionem suppeditare. Deinde, quod majus est, nolebat quemquam exsistere quocum spolia devicti hostis confectique belli præmia partiretur. Supremam enim cum ipso Antonio dimicationem inire non prius poterat quam classibus et re navali valeret, qua in parte maxime claudicabat; nec sperabat se satis roboris esse sumpturum, nisi Pompeium opprimeret, naves ejus in suas classes transferret, insulas denique, quibus ille dominabatur, et præsertim Siciliam solus obtineret; cujus possessio quantum mo-

menti habeat, si quis in Mediterraneo mari pollere voluerit, satis natum. Quæ omnia quum Octavianus miro quodam ingenii acumine perspexisset, in duplici illo consilio his annis versatus est, ut bellum adversus Pompeium tacite moliretur et M. Antonium Italia ludificando amoveret. Adjutores habuit et ministros parandi belli Agrippam, amovendi Antonii Mæcenatem.

Neque in Brundusina pace ea prætermitti debet solertia, qua Octavianus sororem suam in matrimonium Antonio collocavit [1]. Nam, dum vixerat Fulvia, furiis accensa mulier et virum ad reluctandum concitare solita, senserat maximo detrimento suo Octavianus « quid femina posset. » Postea vero, quamvis Octavia pro uxore non minus quam pro sorore honestissime se gesserit, commodissimum Cæsari fuit apud Antonium non alteram Fulviam esse, sed eam quæ aut virum placare mallet quam incendere, aut quid ille sentiret ac moliretur etiam invita detegeret; aut, si a conjuge, quod quidem facile prævideri poterat, male haberetur, causas fratri præstaret irascendi adversus æmulum, et belli, tanquam ad ulciscendam sororem, suscipiendi. Huic autem matrimonio conficiendo Mæcenatem liquet perinde operam commodavisse atque fecerat antea, quum Octavianus Scriboniam uxorem duxerat; unde Mæcenatem nuptiarum ad res publicas pertinentium conciliatorem atque artificem fuisse dixeris, et ab eo apud veteres prope excogitatum illum connubiorum morem, toties posthæc apud recentiores usitatum, quo puella quasi pretium pacis aut societatis pignus traditur.

1. App. *Bell. civ.*, V, 64.

Sed, ne ab iis quæ ad rem nostram pertinent deerremus, Octaviano multa cunctatione opus fuit priusquam hæc omnia perficeret quæ cautissime præcogitaverat. Ac primum eam quam supra memoravimus Brundusinæ pacis conditionem, qua S. Pompeius pro hoste habebatur et bellum adversus eum continuandum esse decernebatur, ægerrime populus Romanus tulit. Nam Pompeius Italiam commeatibus intercludebat, ipsamque Urbem fame prope suffocabat. Quæ quum seditionem plebis minaciter pacem expostulantis concitassent [1], sensit Octavianus ad dissimulationem esse confugiendum, nec diutius cum S. Pompeio reconciliationem recusavit. Prius vero quam in præstitutum quemdam locum Octavianus Antoniusque et S. Pompeius convenirent, legatos miserunt, quorum alii ab Urbe, alii a Sicilia profecti ad Baias congressi sunt ac de pace egerunt. Mæcenatem etiam tunc Octaviani fuisse interpretem, non est cur aut credamus aut infitiemur. De hac igitur pace non plura verba faciemus, præterquam quod memorabimus id statutum fuisse ut S. Pompeius in Sicilia remaneret neque unquam Romam rediret : qua stipulatione quum nullam Octavianus antiquiorem haberet, in hoc quoque fœdere, sicut in ceteris, eam demum sententiam vicisse patet, quæ maxime cum Octaviani commodis congrueret [2].

Postquam vero Antonius Italia excessit Athenasque petivit, ubi, per speciem Parthici belli apparandi, voluptatibus se mergeret [1], tenax propositi Octavianus statim

1. Dio, XLVIII, 31.
2. App. *Bell. civ.* V, 67-73. — Dio, XLVIII, 36-38.
3. App. *Bell. civ.* V, 76.

simultates cum Pompeio repetere, novasque discordias quærere, tanquam ille mare latrociniis infestum rursus faceret, commeatus intercluderet, Italia non abstineret[1]. Quin et Antonii commodis se inservire simulat; maritimas enim possessiones in Peloponeso[2] Pompeius fœdere obtinuerat, ea vero lege ut reliqua tributorum ac vectigalium certo tempore solveret : quam conditionem a Pompeio violatam Octavianus clamitans Antonium arcessit[3], quasi sine ejus auxilio communem utriusque causam adversus Pompeium defendere non valeret, ea scilicet mente ut vires suas celaret et infirmo similem se præstaret. Revera, illo ipso tempore quo Antonium arcessebat, quum Menodorum[4], inter Pompeii legatos præcipuum et in Sardinia magnis tum classibus multisque copiis imperantem, pecunia et promissis clam corrupisset[5], Siciliamque ex improviso invadere pararet, Pompeii partes, Menodori defectione infractas et repentino impetu perculsas, ante oppressum iri sperabat quam Antonius in Italiam appelleret. Quæ quum contra spem vertissent, non commisit callidissimus juvenis ut Antonio se obvium ferret, quod se facturum pollicitus erat. Si enim cum eo ad colloquium esset congressus, aut partem aut summam belli adversus Pompeium, et majus denique victoriæ emolumentum, ei non relinquere non potuisset. Brundusium igitur Antonius venit irritus, et valde indignatus quod Octavianus abesset, multaque

1. App. *Bell. civ.* V, 77.
2. In Achaïa, si Dioni credideris, XLVIII, 36.
3. App. *Bell. civ.* V, 78.
4. Is est Menodorus, qui *Menas* a Dione vocatur.
5. App. *Bell. civ.* V, 78, 79, 80. — Dio, XLVIII, 45.

ei minitatus, Græciam repetiit [1]. Nempe arbitrabatur credulus homo subitam hanc ab Italia digressionem Octaviano molestissimam fore, qua ejus voluntati ignarus maxime obtemperabat. An, quum Octavianus adeo sibi discrepare videtur, nunc Antonium arcessit, nunc congressum cum eo vitat, dubitari potest quin ea consiliorum summa fuerit, ut et adjumentum Antonii in Siciliensi bello peragendo se concupiscere fingeret, et ejusdem adjumenti necessitatem ac periculum reipsa effugeret?

Atqui ea edisserenda esse sensimus ac dilucide perspicienda, ut intelligeremus qualem operam Octaviano Mæcenas etiam postea commodaverit : nam in iis præsertim quæ secuta sunt Mæcenatem sæpissime ac præstantissime interfuisse jam ostendemus.

Quum Antonius injuriam sibi ab Octaviano illatam ægre ferret, mutuisque accusationibus, et iis quidem acerbissimis, uterque se invicem lacesserent, Octaviano, cujus iracundia simulata erat, id cavendum esse visum est ne a jurgiis ad bellum transiretur, neve in Pompeii societatem Antonius iterum delaberetur. Quippe, victis a Pompeio disjectisque classibus[2], expertus erat se sustinendo adversus alterutrum, nedum adversus utrumque, bello esse adhuc imparem; tum quiete opus erat ac procrastinatione, ut imminutas vires reficeret atque adaugeret. Mæcenatem igitur Athenas misit, qui placaret Antonium et omni solertiæ genere ad ducendum tempus morasque nectendas uteretur. Mandata Mæcenas exsecutus est, Antonium adiit, Octavianumque confes-

1. App. *Bell. civ.* V, 79.
2. App. *Bell. civ.* V, 83, 85, 86, 87.

sus acriore ad suscipiendam offensionem, ut adolescentes solent, animo esse, excusavit tamen, quasi non voluntate sed errore quodam et fortuito casu Brundusio abfuisset; ipsi vero Antonio leniter exprobravit quod absentem Octavianum noluisset vel tantulum exspectare, et paulo citius Athenas repetivisset. Tum admonuit quantum esset in Pompeii partibus roboris et periculi, dicendoque etiam amplificavit, et fidem denique fecit nihil Octaviano optabilius aut esse aut videri, quam ut cum Antonio ad communem utriusque hostem opprimendum naves et copias consociaret [1]. Istius modi mendaciis et captionibus permulsus Antonius et quasi irretitus, deposuit iracundiam, novum in Pompeium odium suscepit, se denique pollicitus est primo vere Tarentum petiturum, unde cum Octaviano ad oppugnandam Siciliam proficisceretur. Aliquam fraudem subesse eventus satis monstravit, ipse non sentiebat.

Quum igitur Antonius promissis stetisset, classemque Tarentum transmisisset [2], Octavianum admonuit trecentas naves ibi esse congregatas, destinatumque bellum quamprimum confici posse. At ille, quum rem extrahere vellet diesque prolatare et Antonii præsidium clam adspernaretur, hactenus respondit, mutata esse

1. App. *Bell. civ.*, V, 92.

2. Narrat quidem Plutarchus (In *Antonio*, c. 35) Antonium Brundusium primum petiisse, mox, Brundusii incolis aditum et hospitium abnuentibus, Tarentum sese contulisse. Sed, Appiano auctore, Tarentum Antonius statim petivit. Αρχομένου δ'ἦρος, ὁ μὲν Ἀντώνιος ἐξ Ἀθηνῶν ἐς Τάραντα διέπλει ναυσὶ τριακοσίαις. (App. *Bell. civ.* V, 93). Erravit igitur Plutarchus et ad hunc annum 717 retulit quod reipsa ad annum 714 spectabat. Anno enim 714, ut supra memoravimus, Antonio Brundusino portu ab incolis interdictum fuerat. Duæ fuerunt Antonii ab Athenis in Italiam navigationes, quas Plutarchus miscuit.

consilia; aliis rebus sibi nunc consulendum [1]. Itaque, stomachante Antonio, novisque simultatibus jam coortis, Octavia in pacificationem sese interposuit, nunc ad virum, nunc ad fratrem accedens, ut infensos animos leniret. Quas concursationes ita narrat Appianus [2], ut facile appareat Octavianum novas criminationes ad differendum et prolatandum consulto molitum esse. Denique comparatum est ut legati, tum ab Antonio, tum ab Octaviano missi, conventus inter se haberent quibus omnes lites componerentur, præteritarum offensionum vestigia delerentur, firmaque pax et societas sanciretur.

In hanc legationem abs dubio cadit [3] illa Horatii satira qua iter suum ab urbe Brundusium usque facete narrat, nosque monet Mæcenatem et Cocceium Fonteiumque simul Capitonem Terracinam (quod Anxur quoque dicebatur) convenisse.

> Huc venturus erat Mæcenas optimus atque
> Cocceius, missi magnis de rebus uterque
> Legati, aversos soliti componere amicos.
> .... Interea Mæcenas advenit, atque
> Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem.
> Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus [4].

Nonnullæ tamen sunt in hac satira obscuritates, quas discutere, si te ad temerarias interpretum conjecturas contuleris, difficillimum erit, facillimum vero, si ad statum rerum consiliaque Octaviani ac Mæcenatis respexeris [5].

1. App. *Bell. civ.*, V, 93.
2. Id. ibid.
3. Vid. Horatii interpretes, ac præsertim *Kirchner*, *Quæstiones Horatianæ*, Naumbourg, 1834. (p. 56-60). — Cf. Frandsen, p. 62-64.
4. Hor. *Serm.* I, 5, 27.
5. Quare legati Antonii Terracinam cum Octaviani legatis convene-

Illud primum anquiri potest cur legati Brundusium petierint, quum Octavianus Romæ esset, Antonius autem Tarenti. Quam ob causam multi interpretes satiram crediderunt ad annum 714 spectare, quo pax Brundusina icta est. Sed eo anno neque amicitia Horatii cum Mæcenate initium ceperat, et omni sensu caruisset ille versus :

Aversos *soliti* componere amicos.

Ante Brundusinam enim pacem non videmus aversos amicos a Mæcenate Cocceioque esse compositos [1].

Plures vero [2] finxerunt, anno 716, quum Antonius Brundusium venisset, Octavianus abesset, habitos fuisse Brundusii conventus et colloquia quorum particeps Mæcenas esse potuerit, et eam demum esse legationem de qua apud Horatium agitur. Sed ea opinio vana est atque inanis, utpote quæ nulli historicorum testimonio innitatur, imo Appiani narrationi repugnet [3], qui statim

rint, multi non intellexerunt (vid Frandsen., p. 62, 63) ; quod, etsi ad rem nostram vix attinet, haud inutile videtur hac notula indagare. Si Horatii versus attente perlegeris, Mæcenas Cocceiusque una Terracinam usque iter fecerunt; Fonteius vero Capito *simul* advenit, id est, eodem tempore, ab altera parte. Quum vero ipse Horatius nos doceat (v. 38) Fonteio villam fuisse Formiis, quæ a Terracina duodecim millia passuum distabant, Mæcenatem et Cocceium liquet ab Urbe venisse, Fonteium vero Capitonem, qui tum in sua villa versabatur, iis paulum obviam ivisse, quos ad cœnam invitaret, quibusque postridie comitem se adjungeret. Itidem Horatius et « rhetor *comes* Heliodorus » una ab urbe venerant; Virgilius vero, Plotius, Variusque Neapoli aut Baiis, aut locis circa subjacentibus erant profecti (quam suam Parthenopen dilexerit Virgilius et laudaverit satis notum), viamque secundum littus Sinuessam usque secuti, ubi legatis se conjunxerunt, in interiorem Campaniam jamjam processuris (v. 40). Vid. E. Desjardins, *le Voyage à Brindes*.

1. Masson, *Horat vit.*, 1708, in-8°, p. 81-88. — Frandsen, p. 62.
2. Inter quos Heindorf, Passow, etc...
3. App. *Bell. civ.*, V, 79.

Antonium Athenas reversum esse significat. Ad hæc, anno 716, quum Brundusium Antonius venit, aut ne semel quidem sermonem cum Mæcenate Horatius habuerat, aut nondum novem menses effluxerant quibus peractis eum Mæcenas ad se revocavit, jussitque

Esse in amicorum numero [1].

Sunt denique qui crediderint Horatium Mæcenati comitem fuisse quum is Brundusium peteret, ut inde Athenas proficisceretur. Sed neque Cocceium hujus legationis participem fuisse videmus, neque ulla causa erat cur Fonteius Capito, Antonii legatus, tunc Mæcenati occurreret. Denique absurdum omnino fuisset et insulsum si Mæcenas Horatium, Virgilium, Varium, totamque illam doctissimorum hominum cohortem Brundusium duxisset, ut navem conscenderet eosque statim relinqueret.

Nullo igitur tempore nisi anno 717 potest ea legatio habita esse, cujus Horatius comes fuit. Nempe, ut quid verisimillimum sit hic quoque disquiramus, quum Octavianus et Mæcenas Antonium judicarent observantiæ ac sedulitatis specie tum alliciendum esse, tum procul ab Urbe arcendum, locus ad colloquia a callido Mæcenate potissimum designatus is fuit, ut Antonius et sibi obviam veniri crederet, et in extrema Italia detineretur. Nec vero poterant legati in ipso Tarento sedere; quod si fecissent, eo præsertim tempore quo Antonius multas vires Tarenti congregatas habebat, parum dignitati ac libertati suæ consuluissent. Brundusium sal-

1. Hor. *Serm.* II, VI, 41.

tem se contulerunt, unde Mæcenas Antonium sæpe inviseret, præsensque posset blandis dolosisque sermonibus capere et, prout vellet, flectere.

Quæ prorsus causa fuerit cur Horatius, Virgilius totque poetæ ac litterati homines huic legationi interessent, jam deprehendere, ut opinor, possumus. In animo enim habebat Mæcenas æstatem prope totam prolatando ducere : nam, dum omni artium genere Antonium ipse morabatur, alteri Octaviani socio Agrippæ facultatem dabat naves struendi, portus effodiendi, omnia denique moliendi ut Octavianus, nullo adjuvante, mox Sextum Pompeium ac postea ipsum Antonium profligare posset ac conficere [1]. Quum igitur diu circa Brundusium Tarentumve Mæcenas et prævideret se remansurum, et vellet quidem remanere, amicissimos homines et lepidissimos secum abduxerat, quorum familiaritate et sermonibus per longam illam commorationem frueretur. In quo, ut ad voluptatem suam, ita et ad utilitatem respiciebat. Nam illa doctissimorum hominum frequentia honestissimoque comitatu multum pompæ et apparatus hæc legatio habuit, quo perstringeretur Antonius atque alliceretur. Ex doctorum enim hominum conventu et societate maximum oblectamentum Antonius percipiebat. Hujus studii, cui neque tempestive neque verecunde interdum indulgebat, multa apud Appianum et Plutarchum indicia reperire est. Quum Athenis aut Alexandriæ esset, multum eum juvabat in scholis versari, rhetoresque aut grammaticos audire [2]. Quin imo, post Actiacam cladem, quum Libyam vagus et inops

1. Suet. *Aug.*, 16. — App. *Bell. civ.*, V, 93. — Dio, XLVIII, 48-51.
2. App. *Bell. civ.*, V, 11, 76.

pererraret, duos tantum comites habuit, quorum alter rhetor quidam, nomine Aristocrates, erat [1]. Antonii igitur studium Mæcenas aucupatus, non Libycos rhetores aut Græculum grammaticum nescio quem ad eum duxit, sed Virgilium, Horatium, Varium, optimos et clarissimos, qui unquam apud Latinos exstitissent, poetas. Quibus quantum gavisus sit Antonius, quantum res serias negotiaque oblitus, facile suspicabitur, si quis socordem istius hominis indolem et ad omne voluptatis genus pronam cognoverit. Qui, quum in deliciis Tarenti illius versaretur, quod molle atque imbelle ab Horatio dictum est, Mæcenatis blanditiis et comitate captus, litteratorum hominum colloquiis poetarumque carminibus delectatus, aliquid ex stomachosa illa festinatione, qua Octavianum antea minaciter arcessiverat, sensim remisit, ac meliore erga eum animo esse cœpit. Venit tandem Octavianus Tarentum, et amicissime ab Antonio exceptus, plurima ipse amicitiæ imitamenta prætulit. Icta denique rataque pax fuit quam Mæcenas paraverat. Cujus conditiones, quamvis æquæ esse viderentur, cum secretis Octaviani consiliis optime congruebant. Inter utrumque enim convenit ut bellum adversus S. Pompeium ad proximam æstatem differretur et ab uno Cæsare profligaretur; tum ut Antonius quamprimum in Asiam regrederetur, inceptumque adversus Parthos bellum gnaviter ipse gereret. Et, quod majus est, quum navibus Siciliense bellum conficiendum esset, terrestribus vero copiis Parthicum, Antonius centum et viginti naves Octaviano statim tradidit, Octavianus se

1. Plut. *Ant.*, 90.

Antonio viginti millia hominum in Italia delectorum missurum pollicitus est. Quam delusus ea permutatione esset, haud ita multo post, serius tamen, Antonius maximo damno suo intellecturus erat [1]. Constitutum enim Octavianus, suadente, ut opinor, Agrippa, habebat, non terrestribus præliis, sicut antea factum erat, de summa rerum decernere, sed navalibus copiis ita præstare, ut adversarium statim confringeret atque opprimeret. Assequendi autem propositi adjutorem habuit eum ipsum æmulum adversus quem hæc omnia moliebatur; ita ut, profligato tandem S. Pompeio, mox adversus Antonium, Actiaca pugna, iisdem navibus Octavianus uti potuerit, quas ab Antonio accepisset. Ea fuit Tarentina pax, a Mæcenate, ut solebat, composita, Octaviano, ut solebat, commodissima.

Si, quæ modo memorata sunt, colligamus nunc et cogitatione complectamur, tria sunt quæ notanda in primis et memoria tenenda esse videntur.

Primo Octavianum scimus non magis per vim armorum et victorias ad summam potestatem grassatum, quam per legationes colloquiaque et fœdera; in quibus, licet callidissimum ejus ingenium ad tempus flecteretur,

1. Ejusdem permutationis, si Appiano credideris (*Bell. civ.*, v, 93), ipse Antonius auctor fuit ac molitor, utpote qui vellet Parthicum bellum plurimis viribus celeriter et splendide conficere. Quum Appianus melius, quæ res evenerint, docere soleat, quam, cur evenerint, dijudicare, haud scio an consilium Antonio adscribat, quod, ab Octaviano et Mæcenate prius excogitatum, assensu duntaxat suo Antonius probaverit. Quod si Appianus eo loco verum subtiliter excussit, non dubitari potest quin Antonio, naves pro legionibus accipiendis offerenti, Octavianus et Mæcenas libentissime annuerint, multumque intra se homine delectati sint, qui in foveam non concideret, sed ultro se immitteret.

et necessitati inserviret, tamen certam quamdam et eamdem secretam rationem pertinaciter secutus est, neque unquam a proposito deerravit. Voluit enim, ut supra diximus, æmulorum suorum societati obesse, ut singulos vicissim opprimeret : inter quos quum Antonium maxime valentem constituisset non prius aggredi quam ceteros afflixisset, Antonius præsertim ducendus fuit et deludendus.

Deinde illud quoque notatione dignissimum, quotiescunque ad conventus et colloquia ventum fuerit, res prospere Octaviano cessisse et ad ejus utilitatem esse conversas, adeo ut neque quum de Brundusina, neque quum de Tarentina pace ageretur, quidquam melius exoptare potuerit, quam quod effectum est.

Denique, videmus in solertissima illa felicissimaque rerum tractandarum ratione Mæcenatem plerumque primas partes obtinuisse. Nam, ut quod incertum est aut ignotum omittamus, Mæcenas cum Libone de Scriboniæ matrimonio agit; Mæcenas Octaviani commoda Brundusino fœdere tutanda curat; Mæcenas nunc Athenas, nunc Tarentum ad Antonium pergit, cui per blanditias ac præstigias gratam acceptamque facit pacem Octaviano utilissimam, ita ut ad ludificandum Antonium homo unice natus videatur.

Quibus consideratis, Mæcenatem legatum Octaviani fuisse ut fidissimum, ita peritissimum, haud immerito decernetur.

Nimirum, si ad ingenium indolemque Mæcenatis respexeris, illi abunde fuisse omnia judicabis quæ in iis legationibus, quibus sæpissime fungebatur, felices

eventus parant. Exempli gratia, illa taciturnitas quam plures apud eum laudavere [1], quamque Augustus, teste Suetonio, semel tantum desideravit, quis nescit quantum valeat? Quæ quum fidem faciat, metumque tollat quo a secretis retegendis animi deterrentur, virtus habenda est in legato « magnis de rebus misso » præcipua. Neque rursus ea taciturnitas apud Mæcenatem erat quæ ullam aut tristitiæ aut dissimulationis speciem præberet. Eum enim nunc jocosum Horatius vocat, nunc candidum [2]. Nempe urbanam quamdam et amabilem comitatem præ se ferebat, qua amicitias sibi conciliavit et verissimas et stabilissimas. Tum homines quibuscum conversabatur sagaci quadam prudentia observabat et dignoscebat, acutissimus ingeniorum speculator [3], perspectisque singulorum moribus et studiis et voluntatibus, notum habebat qua ex parte unumquemque tentaret, irretiret, caperet.

Præterea summa ea fuit Mæcenatis solertia, ut, quam Octaviano addictus esset, quantum commodis ejus inserviret, nunquam ostenderit, quasi non ejus interpres esset, sed æquabilem conciliatorem utrisque partibus sese offerret. Suasisse eum Octaviano modestiam et cunctationem, ac sæpius cavisse ne ambitionis impetu adolescens in pericula improvisus ferretur, verisimillimum est [4]. Sed id quoque credendum ab utroque fuisse antea compositum et statutum ut alter alteram veluti personam ageret, Octavianusque difficilis et asper vide-

1. Suet. *Aug.*, 66. — Hor. *Serm.*, I, vi, 60.
2. Epod. iii, 20; xiv, 5.
3. Vell. Paterc. II, 88.
4. Dio. LV, 7.

retur, Mæcenas contra modestus ac mitis. Qua fraude comparatum est ut Mæcenas majorem fidem faceret; Octavianus, si quid postea remitteret, magna concedere videretur. Sed ne inquiramus quid inter eos in secretis sermonibus convenerit, id saltem notandum est, Mæcenatem non quasi uni Octaviano addictum, sed quasi

Aversos solitum componere amicos [1]

ab Horatio haberi. Tum apud Appianum [2] videmus Octaviano iram simulanti quod Antonii præsidio adversus Pompeium caruisset, sororem respondisse hanc litem jam esse a Mæcenate compositam. Itaque magnam facilitatis et modestiæ de se opinionem Mæcenas faciebat, quo certius præstigiis uteretur, et, quæ vellet, consequeretur.

Ne multis morer, in illo mimo vitæ quem Octavianus, ut ipsius morientis verbis utar, commode transegit [3], nunquam vero commodius quam his annis quibus omnes æmulos suos summovit, Mæcenatem habuit, si non auctorem et monitorem, certe

Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas [4].

1. Hor. *Serm.* I, v, 29.
2. App. *Bell. civ.* V, 93.
3. Suet. *Aug.*, 99.
4. Hor. *Serm.* I, IX, 46

CAPUT III

DE MÆCENATE « CUNCTIS APUD ROMAM ATQUE ITALIAM PRÆPOSITO »

Jam ad ea nos conferamus quæ a Mæcenate, quum Urbi et Italiæ præesset, gesta sunt. In quo tres videmus esse quæstiunculas quibus respondendum sit : primum, quæ et qualis fuerit illa, quam Mæcenas exercuit, potestas; deinde, quando et quoties illam exercuerit; denique, quomodo eadem sit usus et in quibus potissimum rebus.

Præfectus Urbis fuisse Mæcenas vulgo creditur : illud tamen notandum est, neminem apud veteres scriptores reperiri qui omnino id ipsum asseruerit, clareque *præfectum Urbis* Mæcenatem vocaverit. Appianus docet tantum Mæcenatem, quum bellum adversus S. Pompeium gereretur, bis fuisse Romam ab Octaviano missum, ut erectos ad seditionem animos pacaret [1]. Jam vero Dio Cassius, dum quæ anno 718 evenerunt narrat, has voces usurpat : Τά τε ἄλλα, τὰ ἐν τῇ πόλει τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ, Γαΐος τις Μαικήνας, ἀνὴρ ἱππεὺς, καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ,

1. App. *Bell. civ.*, V, 99 et 112.

διῴκησε [1]. Eodem Dione auctore, quum Octavianus ad debellandum Antonium profectus esset, Mæcenati ἥ τε Ρώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέτακτο [2]. Quæ verba, nisi quod Græco sermone Dio Cassius utitur, ab illis Taciti verbis ex quibus præsentis hujus capitis titulum expressimus, vix discrepant : « Augustus Cilnium Mæcenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit [3]. » Si ad Velleium Paterculum te converteris, fuit Mæcenas « custodiis Urbis præpositus [4]. » Itidem *elegiæ in obitum Mæcenatis* incertus auctor eum « custodem Urbis » vocat [5]. Quo nomine fuisse quidem præfectos Urbis interdum appellatos non nos fugit [6] : præterea, quum in hoc *Annalium* loco quem modo retulimus de præfectura Urbis Tacitus agat, et quæ sub regibus, quæ postea in libera civitate fuerit, quæ tandem sub Augusto sequentibusque principibus facta sit, breviter edoceat, nulla esset causa cur Mæcenas ibi memoraretur, nisi Mæcenatem Tacitus inter eos annumerandum esse existimavisset qui præfectura Urbis functi essent. Abest nihilominus ipsum *præfecti Urbis* vocabulum.

Accedit difficultati quod in *Bernensi* Virgilii codice, inter *scholia* ad Georgica, unum occurrit his omnino verbis scriptum : « Mæcenas *præfectus prætorio* fuit, ad quem fecit Virgilius *Georgica*, ut Hesiodus ad Per-

1. Dio. Cass., XLIX, 16.
2. Id., LI, 3.
3. Tac. *Ann.*, VI, 11.
4. Vell. Paterc., 2, 88.
5. V. 27.
6. Lydus, *de Magistratibus reip. romanæ*, I, 38.

sen [1]. » Ac doctissimus vir Mommsennius, dum de scholiis iisdem disputat, id quod ad Mæcenatem attinet nusquam alibi quidem reperiri confitetur, sed neque ambiguum esse notat, nec parum ponderis habere [2]. Tamen si Dionem Cassium legeris, Mæcenas, quamdiu vixit, præfectus prætorio appellari non potuit; nondum enim præfectura ista creata erat. Quippe Dio narrat, anno 752, defuncto Mæcenate, præfectos prætorio ab Augusto primum creatos; necnon aperte significat tum primum hanc ipsam appellationem fuisse excogitatam [3]. Hoc unum igitur ex eo quod retulimus scholio colligendum est, Mæcenatem, etsi nomine *præfecti prætorio* caruerit, illis tamen muneribus perfunctum esse quæ postea *præfecti prætorio* toleraverunt. Quodquidem ad obscuritates quasdam discutiendas multum valet. Difficile enim erat intelligere cur Mæcenas Octaviano in omnibus prope bellis comes fuisset : nam, si aut Propertio [4], aut *elegiæ in obitum Mæcenatis* [5] auctori credideris, neque Mutinensi ille, neque Macedonico, neque Perusino, neque Siciliensi, imo ne Actiaco quidem bello abstinuit. Quod si prætorianis militibus, qui imperatorem quolibet sequebantur, præfuit, jam non est cur admiremur eum, quanquam gloria militari non ita clarum, omnium tamen Octaviani bellorum participem reperiri. Erat enim ille fidissimus amicus et diligentis-

1. *Rheinische Museum*, ann. 1860, t. XVI, p. 448; zu den Scholien der Virgilischen Georgica (Mommsen).

2. Die Nachricht, dass Mæcenas *præfectus prætorio* gewesen, steht ausdrücklich wohl nur hier, ist aber richtig, und von nicht geringem Werth.

3. Dio, LV, 10.

4. Prop., *Eleg.*, II, 1.

5. V. 41 sqq.

simus qui domi militiæque ipsius principis incolumitati semper consuleret. Ac ne quid omittamus unde elici possit aliqua veritatis veluti particula, docet Lydus in libro *de Magistratibus reipublicæ romanæ* ea demum præfectorum prætorio fuisse munera quæ antea ad magistrum equitum, quoties aliquis dictator dictus esset, spectavissent [1]. De quo et quidam alii auctores cum Lydo dicuntur consensisse [2]. Sed quoniam Octavianus, ne invidiæ obnoxius foret, dictatoris nomen ipse aspernabatur, non potuit magistrum equitum quemquam appellare. Quid plura? Mæcenas eas vices explevit quas antea magistri equitum expleverant, mox præfecti prætorio erant suscepturi : neutrum vero titulum habuit.

Ceterum, Appiano, Dione, Tacito, Velleio Paterculo cæterisque omnibus, quos supra diximus, testantibus, non dubium est quin iis quoque officiis Mæcenas haud semel sit functus, quæ *præfectura Urbis* vulgo continebantur. Fueritne reipsa *præfectus Urbis* vocatus, an Urbi et Italiæ præpositus, incertum.

Si vero cogitaveris quam vim apud Latinos illud *præfecti* vocabulum habuerit, facile perspicies cur Mæcenas a Tacito inter præfectos Urbis annumerari videatur, et melius prorsus intelliges quid muneris omnino sustinuerit. In hoc scilicet de quo agitur, ut sæpissime evenit, philologia et historia se invicem adjuvant et quasi mutuum lumen altera alteri ministrat ac reddit.

In omni rerum genere *præfectus* dicebatur, qui fi-

1. Οἱ Καίσαρες ἔπαρχον τὸν ἵππαρχον μετονομάσαντες. — Lyd., *de Magistr.*, I, 14.

2. Auctore Aurelio jurisconsulto, Leg. unic. Dig. *de Offic. præf. prætorio*, I, xi.

duciariam tantum operam et in tempus obtinebat, nec nisi creditum ab altero munus, et in vicem alterius, gerebat. Quod plurimis exemplis comprobari potest. Nam *præfectus classi* erat qui classi et a consule præpositus erat, et sub auspiciis consulis imperabat. Itidem in municipiis aut coloniis, quum *quatuorviri* aut *duumviri juri dicundo* creandi essent, sæpe autem accideret ut nemo, propter contentiones candidatorum, crearetur, aut ut aliquis crearetur qui Romæ degeret neque in municipium ad obeundum munus rediturus esset, præfectus tum quoque vocabatur qui explendam magistratus absentis aut non creati vicem suscipiebat [1].

At ne plura quam satis est exempla afferamus, utque ad præfecturam Urbis redeamus, « jam ab origine Urbis, ut ait Tacitus, profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet ac subitis mederetur ; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos [2]. » Ubi notandum est jam præfectos a nemine alio, nisi ab ipsis regibus, quorum loco aliquamdiu imperaturi erant, potestatem suam accepisse. « Dein consules mandabant [3] ; » quapropter etiam apud Titum Livium legimus Junium Brutum, quum Ardeam in castra proficisceretur, « imperium in Urbe Lucretio, præfecto Urbis jam ante ab rege instituto, » re-

1 De hoc vide Inscr. Orelli Henzen, n° 3679, et interpretationem quæ sequitur. — Cf. Forcellini, *Totius Latinitatis lexicon*, t. III, p. 456 (*præfectus*) et p. 377 (*Petronia lex*).

2. Tac. *Ann.*, VI, 11.

3. Ibid.

liquisse [1]. Scilicet priscis illis temporibus, non inutile aut segne ministerium præfectura Urbis fuit; siquidem ut imperandi, ita et jus reddendi potestas et summa denique rerum domi militiæque penes unum regem, mox penes duos consules erat, ita ut quum illi ab Urbe cederent, totam pæne rempublicam secum auferre viderentur. Tum, nondum prolatis ultra pauca millia passuum imperii finibus, et gentibus infensis undique circumstantibus, periculum erat ne, dum consules hinc bellum gererent, illinc bellum alterum repente ingrueret, et improvisus hostis ad ipsa Urbis mœnia perveniret. Quæquidem optime Tacitus intellexit, breviterque, ut solet, significavit his verbis : « deligebatur qui jus redderet ac subitis mederetur. » Postea vero, et alii magistratus creati sunt, prætores in primis, qui jus reddendi potestatem ac pleraque domestica consulum munia exercerent, et ita crevit imperium Romanum ut nihil jam accidere posset Urbi subitum cui ex improviso mederi necesse foret. Præfecturæ Urbis igitur nihil nisi « simulacrum, » ut ipso Taciti verbo utar, duravit. Nempe, quum feriarum latinarum causa consules in montem Albanum rite se conferrent, et tres aut quatuor dies ab Urbe abessent, aut unus aut plures, nunc a consulibus, nunc, per comitia (nam res sæpissime mutata est) [2], delige-

1. T. Liv., I, 59.

2. Exempli gratia, ut unum Dionem memoremus, si lib. XLIII, cap. 16 legeris, de uno πολιάρχῳ ἐς τὰς 'Ανοχάς agitur; de pluribus vero in cap. 42. Anno 728, dum feriæ latinæ celebrabantur, duo fuere quotidie præfecti (LIII, 33). Tandem anno 756 decrevit Augustus unum postea fore (LIV, 17). Itidem lib. XLIII, cap. 42, C. Octavianus Cæsar, secundum consul, præfectos Urbi feriarum latinarum designat; in lib. autem LIV, c. 6, ad eligendum ejusmodi præfectum aliquam fuisse videbis χειροτονίαν.

bantur, quos *Præfectos Urbi feriarum latinarum* mos erat appellare. Et hoc quidem ita inane veteris instituti imitamentum habebatur, ut interdum adolescentulis vix prætextatis ea dignitatis imago mandata fuerit [1].

Quantum ab istiusmodi imagine differat ea potestas qua Mæcenas functus est, satis patet : nec minus prorsus ab illa Urbis præfectura differebat quæ ab Augusto posthæc, ipso Mæcenate auctore, si Dioni fidem adhibueris, instituta fuit, et sub omnibus deinde principibus duravit. Nam Mæcenas absente tantum Cæsare et in tempus potestate fungebatur; præfecti autem ab Augusto instituti perpetuum munus, etiam præsente principe, exercebant, neque ante mortem exuere solebant. Atque ut quæ maxime discrepant attingamus, Mæcenatem Dio refert Augusto suasisse ut præfecturam Urbis nemini nisi omnibus honoribus perfuncto mandaret; quodquidem, et Augusto imperante, et post Augustum, valuit : Mæcenas autem, quum ultra equestrem ordinem progredi noluisset, ne pervenire quidem ad id præfecturæ genus poterat cujus instituendi auctor fuit. Ideo, si quid reperire voluerimus quod cum potestate a Mæcenate tolerata aliquam affinitatem habeat, neque ad inanes illos *præfectos Urbi feriarum latinarum*, neque ad Statilium Taurum et L. Pisonem [2] qui sub Augusto posthæc Tiberioque præfecturam Urbis gesserunt respiciendum erit, sed potius, ut opinor, ad Dentrem Romulium et ad Spurium Lucretium aliosque, quotquot sunt, quos primi reges et consules omnino sui vicarios designaverant, neque ficta et commenticia, sed

1. Dio, XLIII, 42; LIII, 16.
2. Tac. VI, 11.

vera, quanquam extraordinaria, potestate induerant.

Ad summam, Mæcenati non certa quædam ac definita pars rei publicæ, ut quæstoribus aut ædilibus aliisque magistratibus, gerenda erat; universorum negotiorum provincia, quæcunque ad Urbem et Italiam spectabant, illi ab Octaviano committebatur. Itaque, quibus tabellis anulum suum Mæcenas impresserat, eæ pro actis publico signo obsignatis habebantur [1] : quo velut testimonio jus imperandi apud Latinos declarari solebat [2]. Et prorsus, post Actiacam pugnam, in Orientem et longinquas regiones jamjam profecturus Cæsar proprium anulum Mæcenati juxta et Agrippæ reliquit, quo litteras quas ipse ad senatum aliosve scripsisset, antequam redderentur, lectas, et, quantum placuisset, mutatas, obsignarent [3]. Absente igitur Cæsare, ambo ad arbitrium suum omnia rexerunt, et magis, ut ita dicam, imperaverunt quam ipse imperator.

Jam vero ad id adducimur, ut, quibus temporibus Mæcenas Urbi et Italiæ præpositus fuerit, disquiramus.

In annum 718 cadit prima quam apud antiquos scriptores reperimus de mandata Mæcenati Urbis administratione mentio. Narrat enim, ut jam supra dictum est, Appianus, bello adversus S. Pompeium exardescente, quum Octaviani classis disjecta tempestate esset,

1. Plin. *Hist. nat.*, XXXVII, 4. — Cf. Hor., *Serm.*, II, VI, 38.

Imprimat his cura Mæcenas signa tabellis,

ibique interpretes, et Frandsen, *Mæc.*, p. 72.

2. Vid. Suet. *Aug.*, 94, *signum reipublicæ*, ibique Casaub. — Cf. T. Liv., XXVII, 28, et Dio, LIII, 30.

3. Dio, LI, 3.

Mæcenatem in Urbem statim missum, ne tantæ cladis nuntio ad rebellionem animi erigerentur [1]. Necnon eodem anno Octavianus, quum, bello adversus Pompeium iterum suscepto, exercitum in Siciliam transmisisset, in insidias vero incidisset, victus ac profugus, tum quoque timuit ne in Urbe multi rerum novarum appetentes seditionis movendæ occasionem arriperent, Mæcenatemque rursus in Urbem diligentissime misit qui turbarum auctores suppliciis cohiberet aut metu percelleret .

Quod ad illud tempus spectat quo bellum cum Antonio gestum est, aliqua difficultas occurrit, quæ neque omitti potest, neque facile explanari. Fuitne Actiacæ pugnæ particeps Mæcenas? Sunt qui credant, sunt qui infitientur. Si Dionem legeris, non Roma abfuisse eo tempore Mæcenas videtur : imo, post narratam Actiacam pugnam legitur apud Dionem ille quem supra memoravimus locus : Μαικήνας ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέτακτο [3]. At plures, nonnullos Horatii versus [4] afferentes, Liburnis navibus Mæcenatem in Actiaca pugna præfuisse contendunt. Quibus multi jure respondent nihil nos hoc Horatii carmine doceri, nisi poetam veritum esse ne istis periculis Mæcenatis caput ob-

1. App. *Bell. civ.*, V, 99.
2. Id., V, 112.
3. Dio, LI, 3.
4. Hor. Epod. I.

Ibis Liburnis inter alta navium.
Amice, propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo!
Quid nos, quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?...

jiceretur; quodquidem ita fore fama apud Romanos percrebuerat, sed quæ potuerit, ut sæpissime accidit, mendax reperiri. Tamen, si Mæcenas, dum pugna apud Actium committebatur, in Urbe versatus sit, non video quid sibi velit aliud carmen quo Horatius, allato victoriæ nuntio, absentem Mæcenatem desiderat, queriturque quod non cum eo possit vino gaudioque indulgere [1]. Adde quod Propertius Mæcenatem ut in ceteris omnibus, ita et in Actiaco bello militaris laudis Augusti consortem fuisse significare videtur [2], Elegiæ autem *in obitum Mæcenatis* auctor omnino asseverat [3]. Ne in viscera istius disputationis descendamus, quam Horatii interpretibus, a proposito nostro utpote nimis alienam, relinquimus, illud saltem pro certo habendum est, Mæcenatem, si bello adversus Antonium interfuerit, et multo post Cæsarem Roma abiisse, et multo ante Cæsarem Romam rediisse. Crediderim igitur, quum utraque classis circa Actium congregata esset, ac prælium jam immineret, tum demum Mæcenatem ab Octaviano accitum : voluit enim cautissimus imperator secum optimum illum consiliorum interpretem habere, quem, si adversa fortuna esset, aut si res aliquo modo postularet, ad conventus et colloquia, ut solitum esse vidimus, mitteret. Sed postquam Antonius profligatus et prope statim in fugam versus fuit, de eventu belli securus Cæsar quam citissime Romam repetere Mæcenatem jussit. Summam

1. Epod. IX.
2. Propert. *Eleg.*, II, I.
3. *Eleg. in obit. Mæcen.*, v. 45.

Quum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
Fortis erat circum, fortis et ante ducem.

igitur apud Romam et Italiam potestatem, primo solus, mox adjuncto sibi Agrippa, Mæcenas, donec Cæsar rediret, toleravit; Cæsar autem non ante finem anni 725 rediit [1].

Etiam postea Mæcenatem Urbi et Italiæ fuisse præpositum testari videntur duo Horatii carmina quibus Mæcenatem ad cœnam vocat hortaturque ut curas publicas aliquamdiu omittat.

Mitte civiles super urbe curas :
Occidit Daci Cotisonis agmen ;
Medus, infestus sibi, luctuosis
  Dissidet armis;
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena;
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
  Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere ;
Dona præsentis rape lætus horæ, et
  Linque severa [2].

. . . .

Tu, civitatem quis deceat status,
Curas, et Urbi sollicitus times
Quid Seres et regnata Cyro
  Bactra parent, Tanaisque discors [3].

Verum, quo anno utrumque eorum carminum scriptum sit, valde obscurum esse confitendum; neque nobis in animo est omnium interpretum de hac re opiniones atque argumenta recensere ac perpendere. Satis erit si dixerimus neminem exstitisse qui non eorum carminum unum saltem aut alterum post annum 725

1. Dio, LI, 21.
2. Hor. *Carm.*, III, VIII, 17 sqq.
3. Hor. *Carm.*, III, XXIX, 25 sqq.

compositum fuisse crediderit [1]. Potuit enim Mæcenas absentis principis vicem explere, sive anno 729, quum Augustus adversus Cantabros militaret, sive anno 734, quum primum in Siciliam, deinde in Orientem adversus Parthos ille profectus esset.

Atenim Dio narrat, Augusto inter Hispanos versante, multa opera ab Agrippa Romæ fuisse suscepta aut confecta, structa ædificia, totam denique Urbem magnifice ornatam [2]; Mæcenatis autem in hoc Dionis loco ne nomen quidem memoratur. Tum, eodem Dione auctore, quum anno 733 Augustus in Orientem jamjam profecturus esset, aliqua autem etiamtunc seditionum semina deprehenderentur, Agrippæ Juliam natam matrimonio collocavit, eumque Urbi et Italiæ præposuit [3]. Quid inde? Non potuit ab Agrippa administratio Urbis cum Mæcenate consociari, quod quidem jam semel post Actiacam pugnam evenisse comperimus? Non potuere quæcunque peritissimum publicorum operum architectum ac machinatorem aut summæ auctoritatis consularem postulabant Agrippæ reservari, cetera autem munia ad Mæcenatem pertinere? An pauciora in regenda Urbe totaque Italia negotia occurrebant quam ut iis uterque detineretur? Ac prorsus, quod ad annum 733 spectat, Agrippa prope statim in Galliam adversus Celtas, mox in Hispaniam adversus Cantabros quos

1. Kirchner (*Quæstiones Horatianæ*), maxima cura et auctoritate id aggressus, ut, quo tempore singula Horatii opera composita essent, statueret, carmen XXIX lib. III anno 733 adjudicat, carmen autem VII anno 734.

2. Dio, LIII, 27.

3. Id., LIV, 6.

« sera domaret catena, » proficisci coactus est [1]. Eo vero absente, a quo res Urbis et Italiæ tractatas arbitrabimur, nisi a Mæcenate? Priusquam igitur præfectura Urbis continua, ut supra diximus, facta est, et Statilio Tauro commissa [2] (nam postea non fuit cur proficiscens princeps quemquam alium ac Statilium Taurum sui vicarium eligeret), Mæcenatem credendum est, quoties Roma abfuerit Octavianus Cæsar, Urbem et Italiam regendas curavisse; neque enim intelligi aliter posset illa Dionis vox quam supra laudavimus, Mæcenatem Italiæ præpositum fuisse καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολύ [3] : hoc autem munus nunc solus toleravit, nunc cum Agrippa communicavit.

Nec parum refert animadvertere tum rerum molem in unum Mæcenatem inclinavisse quum gravissima tempora essent et maxime iniqua. Non poteris enim quæ quantaque Mæcenas gesserit bene perspicere ac judicare, nisi quantis difficultatibus fuerit obnoxius consideraveris. Atque ut eas omnes paucis verbis amplectar, hoc opus Mæcenatis fuit ut in seditiosissima et turbulentissima civitate pacem et concordiam tum restitueret, tum restitutam confirmaret.

Ne devictis quidem Cassio et Bruto deerant qui pristinum reipublicæ statum amissamque libertatem desiderarent. Qui, post inauguratum triumviratum, quum Octavianum proscriptionum auctorem detestarentur, Sextum Pompeium contra viderent proscriptis tutelam

1. Dio, LIV, 11.
2. Tac. *Ann.*, VI, 11.
3. Dio, XLIX, 16.

et hospitium ultro offerentem [1], ad memoriam Pompeii magni exardescebant, cujus gloria adeo non Pharsalica clade oppressa erat, ut major excelsiorque multorum mentibus obversari videretur [2]. Quoties igitur in Siciliensi bello Octaviano res male cesserat, caput statim attollebant. Adde in turbida ætate et in frequentissima urbe perditorum hominum quasi colluviem, qui, novarum rerum semper appetentes, ad tumultuandum, si tulerit occasio, statim conglobantur, aliquem furoris ducem modo reperiant. Attamen nullam fuisse in Urbe, absente Octaviano, alicujus momenti rebellionem videmus, neque ultra popularem quemdam fremitum et irrita seditionis tentamenta res unquam processit. Quod abs dubio contra vertisset, nisi Mæcenas, nunc in Urbe ab Octaviano relictus, nunc Romam, primo concitatæ plebis nuntio, statim regressus, turbarum semina compressisset, et quasi renascentis discordiæ faces præsentia restinxisset. Nam neque nimiam illam severitatem prætendebat, qua animi jam commoti vehementius incenduntur; neque rursus in faciliorem illam indulgentiam, quæ apud vulgus plerumque ludibrio esse solet, delabebatur. Notum omnes habebant eum, quamvis miti animo, nihilominus ad sæviendum, si res postularet, paratum esse. Necnon a præcipuis turbarum fautoribus pœnas interdum exegit, et insigne documentum dedit quo audacissimus quisque ad metum redigeretur contumaciamque deponeret [3].

1. App. *Bell. civ.*, IV, 36.
2. Id., V, 99.
3. App. *Bell. civ.*, V, 112. Μαικῆναν δ'αὖθις ἐς Ῥώμην ἔπεμπε, διὰ τοὺς νεωτερίζοντας· καί τινες παρακινοῦντες ἐκολάσθησαν.

At qui rempublicam penes unum Octavianum esse ægre ferebant, quum aperte repugnare nequirent, ad secretas conjurationes confugerunt [1]. Inter quas nulla magis formidolosa fuit quam quæ a M. Lepido, triumviri filio, dum Octavianus adversus Antonium bellum gerebat, inita est. Gestiebat enim juvenis et potestatem triumviro patri ereptam sibi vindicare, et avunculi Bruti mortem ulcisci. Molitus est igitur Cæsarem, simul in Urbem revertisset, interficere. Quod ne patraretur, Mæcenatis vigilantia provisum. Nam, ut ipsis Velleii Paterculi verbis utar, « hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, et mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac renascentis belli civilis restinxit initium [2]. » Fuit enim Mæcenas, eodem Paterculo judice, « vir, ubi res vigilantiam exigeret, sane exsomnis, providus atque agendi sciens; simul autem aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens [3]. » Non illo otio, non mollitiis quas multi, Seneca in primis, vehementissime Mæcenati exprobraverunt, aut diligentia ejus refrigescebat, aut industria languescebat. Ad segnitiam quis crediderit eum virum unquam descendisse, cui perpetuam febrem fuisse et triennio supremo nullo horæ momento somnum contigisse Plinius docet [4]? Speciem duntaxat segnitiæ Mæcenas præ se ferebat, qua acerrimam et stre-

1. Sen., *de Brevit. vit.*, 5.
2. Vell. Paterc., 88.
3. Ibid.
4. *Hist. nat.*, VII, 52 (51).

nuissimam animi diligentiam obtegeret. Quod optime intellexisse videtur acutissimus ille animorum speculator ac judex Corn. Tacitus, in eo *Annalium* libro ubi non ipsum quidem Mæcenatem, sed Mæcenati æmulantem Crisp. Sallustium describit. Postquam enim ejus cultum et munditias diffluentemque luxum notavit, illa deinceps persequitur : « Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, et acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat [1]. » Et ea quidem ostentatio tum maxime proficiebat quum conjuratorum consilia exploranda essent ac deprehendenda : quis enim tam delicato homini, quis « discincto [2] » diffideret? Aliquam Mæcenati fuisse dixerim cum felibus similitudinem, quæ nusquam magis vigiles sunt aut insidias parant quam quum languidis ocellis ac prope clausis videntur obdormiscere.

Ceterum, non Cæsaris tantum saluti providendum erat : ut singuli quoque cives a nocturnis insidiis tuti essent, Mæcenas curavit. Quod ab auctore *Elegiæ in obitum Mæcenatis*, tanquam meritum haud mediocre, plurimum laudatur.

. . . .
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
Nocte sub obscura, quis te spoliavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipse, latus [3]?

Ipsa enim compita et viæ, ut plerumque turbidis temporibus accidit, infesta latronibus erant, quorum audacia sæpius ad scelus et cædem pervenerat. Novos

1. Tac. *Ann.*, III, 30.
2. Sen., ep. 114.
3. V. 28 sqq.

igitur vigiles Mæcenas instruxit et in certis stationibus locavit, quorum præsidio ea optimo cuique securitas restitueretur quæ in tranquilla civitate compositaque republica esse solet.

Italicæ autem res non minus aut negotii aut difficultatis quam Urbanæ Mæcenati afferebant : siquidem homines regere offensos, spoliatos, miserrimos opinione asperius est. Nam quum agros triumviri haud semel, Octavianus præsertim, inter milites bellorum socios divisissent, neque veteranorum, neque possessorum, ut Suetonii verbis utar, gratia teneri facile poterat, « alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus [1]. » Eam fuisse præcipuam Perusiani belli causam jam supra memoravimus. Ac postea quoque res componi sine multorum offensione vix poterat. Quantum animi de hoc angerentur, satis ostendunt Horatii versus, quibus, dum Urbanas molestias facete detestatur, illud se ab omnibus fingit in foro interrogari :

> Quid? militibus promissa Triquetra
> Prædia Cæsar, an est Itala tellure daturus [2]?

Non potuit Mæcenas, quum Italiæ præpositus esset, in arduis illis et operosis negotiis non versari. Satis constat Virgilium, quum agro suo a veteranis pulsus esset, ad Mæcenatem ab Asinio Pollione traductum fuisse, et per Mæcenatem in possessionem agri restitutum [3]. Ceterum nihil apud antiquos scriptores reperimus quo plane intelligi possit quid Mæcenas ad ordinandas Italiæ

1. Suet. *Octav. Aug.*, 13. — Cf. Dio, XLVII, 14; XLVIII, 6 et 8; XLIX, 14; App., *Bell. civ*, II, 140; IV, 3; V, 5, 20, etc....
2. Hor. *Sat.*, II, VI, 55.
3. Donat. *Vita Virgilii.* — Cf. Schol. ad Virgilium.

possessiones effecerit. Istiusmodi enim negotia non tam providendo publice quam privatim componendo et cum singulis paciscendo enodantur et solvuntur. De hoc igitur neque enucleate disserere, neque omnino tacere potuimus. Conjiciendum saltem (quodquidem vix cuiquam venire in dubium potest) Mæcenatem auctoritate, solertia, ingenioque illo ad temperandos animos aptissimo multum valuisse ut illæ difficultates ad agrorum distributionem pertinentes expedirentur, ac, ne Octaviano Cæsari obessent, præcavisse.

Grave quoque illud et invisum munus explendum haud semel habuit, ut non modo intra pomœrium, sed in tota Italia, tributa exigeret, quæ Octavianus Cæsar, plurimis bellorum sumptibus ægre sufficiens, indixerat. Cives vero et incolæ, perpetuis discordiis quibus respublica laborabat plerumque ad paupertatem redacti, oneris adeo impatientes erant, ut molestia interdum in seditionem verteret [1]. Iram minasque neglexit Mæcenas, repugnantes terruit, ut imposita tributa solverent coegit, ea denique expressit atque extorsit unde nervos belli, ut aiunt, Cæsari suppeditaret. Quapropter monet Plinius Mæcenatis ranam (id enim cælatum in anulo signum Mæcenas habebat) propter collationem pecuniarum in magno terrore fuisse [2].

Quo magis admirari debemus Mæcenatem, exceptis levioribus illis conquestionibus atque offensionibus, invidiæ ad extremum ita expertem evasisse ut populo Romano nemo fuerit carior. Ille, inquam, pecuniarum

1. Plutarch., *Anton.*, 75. — Cf. Dio, XLVII, 16 et 17; XLVIII, 43.

2. Plin. *Hist. nat.*, XXXVII, 4. « Infausto enimvero omine ea rana coaxare jactabatur. » (Harduinus ad hunc locum).

collector asper et coactor, ille seditionum conjurationumque severus interdum vindex, ille publicæ servitutis adjutor et quodammodo artifex, tantum sibi populi favorem conciliaverat, ut, quum primum in theatrum, e gravissimo morbo vix recreatus, redierit, plausibus et faustissimo clamore omnium fuerit exceptus. Quodquidem Horatius jam antea a se memoratum[1], his versibus iterum celebrat :

. . . . . . Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
    Eripuit volucrisque Fati
Tardavit alas, quum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum[2].
. . . .

Nempe Romani meminerant pacem publicam, cujus maxime indigebant, a Mæcenate, quotiescunque Octavianus Cæsar abfuisset, et servatam esse et confirmatam. Habuit præterea quamdam ingenii facilitatem et comitatem qua arrogantiæ et superbiæ suspicionem effugeret. Ipsis denique vitiis quæ in illo reprehenduntur aliquid inerat amabile. Eam enim prætendebat mollitiam et lentitudinem qua summam potestatem minus exoptavisse videretur quam invitus accepisse. Diffluentem sane ejus luxuriam et muliebrem cultum et solutos mores, imo depravatos, nemo est qui aut negare possit, aut excusare. Quem Augustus appellabat deludens « μάλαγμα mœcharum[3]. » Nec immerito alicujus civium corruptelæ reus habetur; nam, auctore Tacito, histrionum ludicro propterea indulsit Augustus quod Mæce-

1. Hor. *Carm.*, I, xx, 3 sqq.
2. Id., II, xvii, 22 sqq.
3. Macrob. *Saturn.*, 2, 4.

nati obtemperabat, « effuso in amorem Bathylli [1]. » Tum vehementer indignatur Seneca quod ei, « quum maxime civilibus bellis strepentibus et sollicita urbe et armata, spadones duo » pro comitatu fuerint [2]. Sed Romanis fortasse haud injucunda erat illa deliciarum voluptatisque imago, inter ipsos civilis belli apparatus armorumque fragorem velut repente obversata, qua et Mæcenas securum se præstaret, et ceteros ad spem melioris ævi revocaret. Quæ flagitia alte cinctus Seneca notat, iis sæpissime vulgus ignoscit : sunt quibus non displiceat « a discincto signum peti [3]. »

1. Tac. *Ann.*, I, 54.
2. Sen., ep. 114.
3. « Signum a discincto petebatur. » Sen., ibid.

CAPUT IV

CUJUSMODI FUERINT CONSILIA C. OCTAVIANO AUGUSTO A MÆCENATE DATA

Quomodo C. Mæcenas de Octaviano Cæsare primum tanquam legatus, deinde tanquam in Urbe et in Italia vicarius, optime meritus sit, si non plane perspicere, saltem satis intelligere potuimus. In quibus Octavianum vidimus Mæcenate velut ministro utentem, prudentissimo quidem et strenuissimo, sed ministro utique. Nunc vero, quid ex iis quæ ab Octaviano gesta sunt, ad Mæcenatem, quasi ad auctorem, redundare debeat, quid de condendo principatu regendaque republica senserit, quarum denique rerum aut suasor fuerit, aut dissuasor, anquirendum est.

Quo in proposito quantum sit obscuritatis, quanta ambigendi materia, supervacaneum est admonere. Ecquis enim nostrum, quos sermones inter se Mæcenas et Augustus habuerint, cognoscere possit, quum ne æquales quidem eorum cognoverint? Ecquis edocere omnino queat uter apud alterum magis valuerit, uter alterum in suam sententiam sæpius perduxerit? Nihilominus multa indicia reperire est quibus verum odorari et quasi per transennam adspicere possimus.

Memorandum primum Augusto semper fuisse aut unum aliquem, aut paucos, tum prudentia, tum fide conspicuos, quibuscum de maximis rebus communicaret, quosque nunquam non consuleret. Et id quidem referimus, non ut ei incertum animum et ad suscipienda negotia imparem objiciamus, sed potius ut ejus prudentiam sapientissimorum hominum consiliis innitentem et ab omni temeritate alienam admiremur. Quippe Agrippa et Mæcenate mortuis aut ætate provectis, ne Crispi Sallustii, quem in necessitudinem Augusti venisse Tacitus monet [1], mentionem faciam, quam sedulo Liviam uxorem secretorum sociam fecerit et regendæ reipublicæ participem, quis necit? Quacum sermones adeo serios et graves habere solebat, teste Suetonio, ut « nonnisi in scriptis et e libello haberet [2]. » Inter omnes autem quorum consiliis usus est, nemo fuit cujus sententia majus momentum apud eum habuerit, quam Mæcenatis. Ne singulos hujus rei testes enumerare aggrediar, Tacitus, in eo loco quem modo memoravi, eumdem Crispum Sallustium ait « incolumi Mæcenate proximum, mox præcipuum cui secreta imperatorum inniterentur » fuisse [3]. In familiaritate igitur Augusti Mæcenas magis versatus est quam qui maxime. Atque in his Taciti verbis illud notatione dignissimum videtur, quod Agrippam omisit, quasi in iis quæ ad secretorum societatem spectant, ne Agrippa quidem cum Mæcenate contendere potuerit. Quorum quanquam nomina ita apud scriptores conjuncta esse solent ut vix

1. *Ann.*, III, 30.
2. Suet. *Octav. Aug.*, 84.
3. Ibid.

dissociari posse videantur, et uterque in pari gratia et auctoritate apud Augustum fuisse vulgo creditur, Mæcenatem multo magis valuisse plurima comprobant. Unus hic erat quem Augustus certissime sciret sibi nunquam defuturum, et de quo posset jure optimo Propertius scribere :

Mæcenatis erunt vera tropæa fides [1].

Nam Agrippæ, licet nonnulli propensiorem eum ad rebellionem fortasse finxerint quam reipsa fuit [2], quædam tamen inerat arrogantia et contumacia qua Mæcenas omnino caruit. Illud inter eos discrimen satis testantur quæ de matrimonio Agrippæ cum Julia, Augusti filia, Dio Cassius refert. Nempe sciscitanti Augusto quomodo cum Agrippa ageret, Mæcenas respondisse dicitur : « Illum ad id magnitudinis extulisti, ut aut interficiendus sit, aut gener faciendus [3]. » Ætate quidem provecta, ut ait Tacitus, et increscente, ut opinor, apud Augustum Liviæ auctoritate, Mæcenas « speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit [4] : » nunquam tamen omnino friguit; imo et heres ab eo scriptus erat Augustus, et flevit mortuum [5].

Nihil igitur mirum si apud Dionem in ea consultatione qua Augustus cum Agrippa et Mæcenate de reddenda republica deliberavisse fertur, eam sententiam

1. *Eleg.*, III, IX.

2. Vid. Frandsen, *Agrippa*, præsertim cap. VI, Misshelligkeiten des Agrippa und Augustus wegen des Principates, et Van Eck, *Quæstiones historicæ de M. Vipsanio Agrippa*. Lugd. Batav., 1842.

3. Dio, LIV, 6.

4. Tac. *Ann.*, III, 30.

5. Dio, LV, 7.

Mæcenas tuetur cui obtemperaturus Augustus erat [1]. Nec ignorat quisquam a Mæcenate, si Dioni credideris, tunc habitam esse longissimam orationem, qua prope tota futuri imperii ratio continetur. Quid in ea oratione ab ipso Mæcenate dictum esse possit, quid vero fictum a Dione fuerit, jam indagare plurimum interest.

Ac primum, Octavianum Cæsarem, postquam summam potestatem solus obtinuerit, de futuro civitatis statu multum dubitavisse, atque etiam an imperium deponeret ancipitem hæsisse, non tam falsum nobis videtur quam plerique putaverunt. Qua de re quum Dio Suetoniusque et Seneca [2] consentiant, non video cur nos triplex illud testimonium pro nihilo haberemus. — Atenim simulavit Octavianus se potestatem deponere velle, quam retinere constitutum omnino habebat. — Speciem quidem abstinentiæ sæpissime Augustus præ se tulit : tamen, qui meram de hac re dissimulationem in eo semper fuisse contendunt, haud scio an quæ fuerit Octaviani indoles, quid cupiverit, quid timuerit, male perspiciant. Flagrabat quidem cupiditate potestatis ; sed meminerat idem Julii Cæsaris avunculi cædem, ad propriam incolumitatem respiciebat, tum imperandi amore, tum pereundi metu districtus. Non abstinentia quadam aut modestia aut fastidio ad exuendam potestatem inclinabat animus : sed possetne eam salvus retinere secum anquirebat. De hoc demum duos sibi amicissimos homines, Agrippam et Mæcenatem, consultos habuit ; de hoc uterque verba fecit. Nam imperium sine periculo

1. Dio, LII.
2. Dio, LII ; Suet., *Oct. Aug.*. 28 ; Sen., *de Brevit. vit.*, 5. Cf. Donat., *Vita Virgilii*, XIX, 78.

retineri posse negat Agrippa, Mæcenas contra et posse retineri contendit, et, quomodo possit, enodatius explicat Ea igitur erat responsio Mæcenatis quæ Octaviano quam acceptissima esset, quum et cupiditatem dominandi expleret, et metum levaret.

Sed in illa ipsa responsione omnia a Dione ficta esse; nihil ipsi Mæcenati adscribendum multi arbitrantur. Quiquidem primum ipsam pro argumento habent longitudinem istius orationis, qua non universa tantum, sed prope singula in civitate Mæcenas intuetur et recenset. Quid vero? Finxit Dio hæc omnia una oratione comprehendi; cur autem nihil horum a Mæcenate reipsa dictum inferemus? An Dio non potuit, quidquid Mæcenas de republica senserit atque Augusto aut una pluribusve epistolis, aut multis sermonibus ac deliberationibus suaserit, in unum congerere? Neque nos fugit multis sive ad mores hominum, sive ad prudentiam civilem pertinentibus sententiis ac præceptis, quæ Dionem multo magis quam Mæcenatem redoleant, eamdem orationem refertam esse. Nempe, quum se Thucydidis æmulum ferre Dio videatur, multa ex philosophorum, multa ex rhetorum scholis ducere solet, quibus orationes, quas in ejus historia legimus, distinctæ sunt ac veluti nitent; adeo ut in hac ipsa de qua agitur Mæcenatis oratione, nonnulla ex iis ad Cæsarem de ordinanda republica, quæ Sallustio falso adscribuntur, epistolis expressa esse quidam crediderint [1]. De iis igitur quæ-

1. Wilmanns, *de Fontibus et auctoritâte Cassii Dionis*, Berolini, 1835, p. 39. — Negat quidem Jordanus (*de Suasoriis ad Cæsarem senem de re publica inscriptis*, Berolini, 1868, p. 8) hanc Mæcenatis orationem cum suasoriis illis ulla ex parte concinere. Aliquam tamen inter Dionem Sallus-

cunque inter locos communes annumerari possunt, nihil est quod non concedamus. Verum, si ad ea nos redegerimus quæ aut instituenda, aut facienda, aut mutanda apud Dionem Mæcenas Augustum monet, non est cur dubitemus quin eorum ipse Mæcenas plerumque auctor fuerit.

Contra disputant multi et ii quidem magna auctoritate judices [1], quibus si fidem adhibeas, non id effecit Dio, ut, quæ sensisset Mæcenas, edoceret, sed quæ reipsa ab Augusto sequentibusque principibus paulatim facta essent una oratione amplecteretur : quæquidem si quis Mæcenati adjudicaret, non minus erraret quam si ea quæ Virgilius Æneæ in inferis de futura Urbis magnitudine præmonstrari et præcini fingit, reipsa ab Anchisæ filio prævisa fuisse contenderet.

Quam opinionem etiamsi refellere nullo modo possemus, illud certe notandum foret, neminem a Dione digniorem haberi, quam Mæcenatem, qui tantas res suasisse et præcogitavisse fingatur : quodquidem nemo infitiabitur plurimum ponderis habere ad probandum quanta fuerit Mæcenatis apud Augustum auctoritas.

Sed ut longius progrediamur et in viscera disputationis descendamus, si jure contenditur ea demum hac Mæcenatis oratione contineri quæ postea facta sunt, non a Mæcenate quidem ipso ante eventum monstrata, sed a Dione post eventum recognita, necesse est tum

tiumque similitudinem, magis si ad totum sententiosæ orationis genus quam si ad ipsa verba respexeris, deprehendi posse crediderim. Exempli gratia, confer Dionem, LII, 16, cum Sallustio, *Catilina*, 10.

1. Vid. Egger, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, c. VIII, p. 290.

nihil in ea oratione occurrere quod non postea factum sit, tum quidquid postea factum sit, dummodo aliquantulum momenti habeat, in eadem reperiri. Quid, si quædam occurrunt quæ nunquam aut ab Augusto aut ab ullo post Augustum principe tentata sint, et quorum ne mentio quidem ulla usquam alias apud scriptores deprehendatur? Exempli gratia, censuit Mæcenas, auctore Dione [1], unum creandum esse magistratum, qui senatorum equitumque singulorum genus et rem familiarem inspiceret moresque corrigeret, tum qui a censoria principis potestate nomen *subcensoris* (ὑποτιμητοῦ) duceret : necnon suasit Mæcenas ut unus ex senatoribus post præfectum Urbis præstantissimus ad hoc munus sustinendum a principe deligeretur. Sed adeo non *subcensor* aut ὑποτιμητής quisquam creatus fuit, ut ne vocabulum quidem apud ullum alium scriptorem sive latinum, sive græcum, usquam reperiatur [2]. Neu quis huc afferat Suetonii locum quo institutum ab Augusto fuisse docemur « triumviratum legendi senatus, et alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset [3]. » Quantum enim illud quod a Mæcenate suadetur ab hoc quod instituit Augustus differat, quis non videt? Si ad ea duntaxat quæ reipsa facta sunt Cassius Dio, ut contenditur, respexit, cur apud eum Mæcenas non de utroque illo triumviratu, quem creatum ab Augusto Suetonius refert, sed de uno *subcensore*, qui nunquam creatus est, aliquid Augusto suasisse fertur?

1. Dio, LII, 21.
2. Nam errat H. Stephanus, quum illud *subcensoris* vocabulum a Suetonio usurpari contendit. Vid. H. Steph., ad voc. ὑποτιμητής.
3. Suet. *Oct. Aug.*, 36.

Quum vero Mæcenas de re nummaria ordinanda disserit, magnam quamdam et singularem commutationem suadet, quam apud antiquos excogitatam fuisse prope incredibile videtur [1]. Quippe agros et possessiones publicas, quas propter bella civilia multas esse videt, vendendas censet, et pecuniam omnem quæ venditione eadem parta fuerit mutuam esse dandam; unde quum alias commoditates, tum reditus et perennes et satis amplos reipublicæ fore prævidet. Quodquidem permagnum consilium, et tunc temporis omnino novum, quo respublica pecuniam jam non mutuam acciperet, ut sæpe antea factum erat [2], sed daret, et ærarium quasi in publicam quamdam argentariam converteretur [3], nunquam ad effectum pervenit. Unde igitur hoc Cassius Dio ducere potuit et in hanc orationem transferre? Aut quem, nisi Mæcenatem, hujus auctorem fuisse putabimus?

Rursus inter ea quæ ab Augusto sequentibusque principibus instituta fuere aut mutata, nonnulla sunt, et ea quidem haud mediocris momenti, de quibus apud Dionem Mæcenas tacet. Atque ut exempla hic quoque proferamus, nihil de notissima illa provinciarum divisione, quarum Augusti aliæ, aliæ senatus populique

1. Dio, LII, 28. — De hoc vide Dureau-Delamalle, *l'Économie politique chez les Romains*, t. II, p. 331.

2. Lap. Ancyr. col. 3. « Quater pecunia mea juvi œrarium, » etc... Cf. T. Liv., XXIV, 18; XXVI, 36; XXIX, 16; XXXI, 13; Tac. *Hist.*, IV, 47; Flor., II, 6.

3. Nempe id instituendum Mæcenas monet quod Gallice diceretur *banque publique*. Imo vero, in eodem cap. XXVIII, enucleate explicat quod Gallice diceretur *équilibre du budget*. Hoc saltem alterum Mæcenatis consilium non irritum evasisse satis docet illud *Breviarium* aut *Rationarium totius imperii*, de quo vide Tac., *Ann.*, I, 11; Suet., *Aug.*, 101, et *Calig.*, 16; Dion. LVI, 33. — Cf. Egger, in doctissimo illo, quem jam laudavimus, libro, *Examen critique*, etc... chap. I, sect. II, p. 30 et 39 sqq.

Romani provinciæ dictæ sunt [1], Mæcenas loquitur; nihil de publicandorum senatus actorum prohibitione [2]; nihil de adimendo senatoribus jure extra Italiam injussu principis progrediendi [3]. Quid est igitur cur Cassius Dio alia huic, quam finxisse putatur, orationi intexuerit, alia omiserit, nisi quod eorum quæ intexuit Mæcenatem auctorem fuisse, eorum autem quæ omisit non fuisse, cognoverat?

Verum id quoque contenditur apud Dionem a Mæcenate quædam suaderi, quæ nemo Mæcenatis ætate vel cogitare potuerit : quod qui comprobare volunt, illud afferunt consilium, aut potius votum, quo Mæcenas ut omnes liberi viri, quotquot sint in imperio, civitate donentur exoptat; ubi ad celeberrimum Caracallæ rescriptum, quo id effici viderat, Dio Cassius respexisse dicitur [4]. Sed quod de re nummaria a Mæcenate excogitatum retulimus, quis credidisset quemquam inter Mæcenatis æquales animo fingere potuisse? Id tamen erat quod neque a Caracalla, neque ab ullo alio principe factum Cassius Dio viderat. Imo vero illud de civitate toti terrarum orbi largienda dictum, minus, ut opinor, mirabere, si quantus jam tum esset civium Romanorum numerus consideraveris; qui per bella civilia adeo creverat, ut eum prope decies majorem Mæcenas viderit quam antea fuerat [5]. Quid igitur mirum si quis

1. Dio, LIII, 12. — Suet. *Oct. Aug.*, 47.
2. Suet., *Oct. Aug.*, 36.
3. Tac., *Ann.* XII, 23. — Dio, LII, 42.
4. Egger, *op. laud.*, cap. VIII, p. 291.
5. De hoc vid. Ezechielis Spanhemii *Orbis Romanus, seu ad Constitutionem Antonini imperatoris exercitationes duæ*, præsertim c. XIII, XIV, XV. — Dureau-Delamalle, op. laud.

jus, quod ad tot homines jam pervenerat, etiam ad ceteros sensim pervenire posse crediderit? Adde quod hoc ipsum optime cum reliqua Mæcenatis oratione congruit, qua et provincialium præcipuos in senatum cooptandos [1], et immanem illam populorum nationumque societatem, ex qua imperium Romanum constabat, in unam quasi gentem uni principi parentem convertendam censet; unde nationes moneta, ponderibus ac mensuris, jam non alias aliis, sed omnes iis tantum quæ apud Romanos valeant, uti debere denuntiat [2] : quin etiam, eas prope omnino vetat cum ipso principe per legatos quidquam rationis habere, sed præcipit ut a proconsulibus tantum et principis vicariis, aut quæ exoptaverint petant, aut quod principi placuerit accipiant [3]; ita ut oratione Mæcenatis imago quædam exprimi videatur illius, quæ sub uno rege in civitate bene ordinata florere solet, ἱεραρχίας.

Quum igitur in oratione Mæcenatis apud Dionem et multa occurrant quæ ad effectum nunquam perducta sint, et rursus quædam absint quæ effecta postea fuisse videamus, et nihil Mæcenas suadeat quod excogitare non potuerit, eum plurimorum quæ suasisse fertur reipsa auctorem exstitisse verisimillimum est. Nempe Cassius Dio multa tum ab Augusto, tum ab Agrippa ipsoque Mæcenate scripta in manibus habuit [4], quibus

1. Dio, LII, 19.
2. Ibid., c. xxx.
3. Ibid.
4. Vid. Egger, op. laud., p. 16 sqq.; 31 sqq. — Quod ad commentarios quosdam a Mæcenate compositos spectat, vid. Hor., Carm. II, 12, 9; Servium ad *Georg.*, II, 42; Plin. *Hist. nat.* VII, 46; Frandsen, *Mæcenas*, p. 168 sqq.

ad hanc componendam orationem usus est, perinde atque ad orationem scribendam quam a Caleno adversus Ciceronem habitam refert, in Antonii ἀντιγραφαῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς multa reperisse videtur [1].

Longum est enumerare quæ Mæcenas de ordinibus civium, de novis magistratibus instituendis, de tributis ac vectigalibus, de Italia provinciisque administrandis, de jure dicendo ac de omni prope republica censet. Quorum si singula recognoscere inciperemus, a proposito nostro ad id jam delaberemur, ut, quæ fuerit sub Augusto ordinatio reipublicæ totiusque imperii administratio, inspiceremus. Eatenus hæc de Mæcenatis oratione disquisitio persequenda erat, ut comprobaremus Augustum suadenti Mæcenati non semper quidem, sed sæpissime obsecutum esse, et Mæcenatis denique consilia plerumque valuisse.

Quod ut etiam magis appareat, placet ad summam rerum respicere, et, quam ad rationem ac normam sese rexerit Augustus, memorare : nempe illis Augusti artibus ac rationi singularem quamdam fuisse cum Mæcenatis ingenio et moribus congruentiam, facillime ostendetur.

Ut, quid in omni vitæ ratione diligentissime Augustus et felicissime curaverit, uno verbo complectar, invidiam cavit. Nam ei pro documento erat Julii Cæsaris cædes, quem, imperio potitum, propterea periisse videbat, quod se dominum ac tyrannum apertius confessus esset, et regium etiam nomen, quo ab assentatoribus

1. Wilmanns, *de Dionis Cassii fontibus*, c. VI, p. 32 sqq. Cf. Egger, p. 292.

quibusdam, incertum an et ipse conscius, salutabatur [1], vix renuisset. Sensit igitur Julii Cæsaris heres unius dominationem, insolentia parendi graviorem, ita demum confirmari posse, si dissimularetur. Quapropter honores et imperium quasi invitus accepit, quidquid novum esset atque insolitum recusavit, imaginem reipublicæ ac libertatis speciem superesse voluit, privato denique similem se præstitit, nedum regem ageret.

Eadem modestia Mæcenas usus est, nec multo minus, ut opinor, simulata. Nam de tanto illo, quem jactabat, otii amore, de illo privatæ securitatis desiderio, sunt qui crediderint, nos subdubitamus. Fuere semper qui, quum gravissimis muneribus fungerentur, se oneratos magis quam honoratos, et mole rerum obrutos, et missionis otiique unice cupidos dictitarent, quos vero multum pœnituisset voti compotes fieri. Neque mendacii istiusmodi homines omnino insimulaverim, quum multæ sint revera in magna potestate acerbitates, et illi interdum, talia exoptando, minus alios fefellerint quam semetipsos. Potuit Mæcenas negotiorum aliquando impatiens esse, et quod « civiles curas mittere » nequiret, ingenue queri : non potuit tamen ipsam potestatem aspernari, qui tam egregie toleraret ; non potuit vir ille, ad magnificentiam et lautitias propensior, gratiam et auctoritatem et opulentiam, quæ excelsam fortunam sequuntur, fastidire. In ea igitur, quam præ se Mæcenas ferebat, abstinentia, plus erat ostentationis et artis quam veritatis. Quodquidem et de Augusto asseverari posse satis constat. Eadem prope mente otium Mæcenas

1. Suet., *Jul. Cæs.*, 78, 79. — App. *Bell. civ.*, II, 108 sqq., etc...

lacessebat, qua Augustus imperii tædium sæpissime mentiebatur, et tanto oneri sustinendo se imparem esse dictitabat. Ac quemadmodum Augustus omni titulo, quo concitari invidia posset, consulto et cogitàte abstinuit, se *dominum* vocari prohibuit, dictaturam supplex deprecatus est [1], ac princeps tantum vocari maluit; ita et Mæcenas ultra equestrem ordinem progredi semper recusavit [2], honores idcirco omnes magistratusque respuit, imo ne præfectus quidem fortasse appellatus est. Age, sit ita appellatus : ea prorsus inter *principatum* et *præfecturam* similitudo reperietur, quod utrumque nomen notissimum apud Romanos esset, neque auribus eorum grave; utrumque nihil definitum haberet, nihil certum, sed honorarium ac prope inane videretur; utrumque ad id maxime idoneum esset, ut moderationis ac mediocritatis specie summa revera potestas et prope infinita obtegeretur.

Hæc est inter Mæcenatem et Augustum mira rationis artiumque congruentia, et ea prorsus magis insignis atque evidens quam quæ aut negligentia prætermitti possit, aut inter fortuitas res et casu aliquo ortas annumerari. Ex communi sententia eadem via grassati sunt, eamdem abstinentiam jactaverunt, idem finxerunt, idem simulaverunt. Necnon id pariter consecuti sunt, ne glisceret invidia, imo ut consenesceret ac taceret.

Nihil igitur mirum, ut ad Dionem revertamur, si Mæcenas suadet « ne tyrannum Cæsar se præbeat, aut plebem ac patres pro servis habeat [3]; ne veterum in-

1. Suet. *Oct. Aug.*, 52, 53.
2. Tac. *Ann.*, III, 30; Prop. *Eleg.*, III, 9, 23; Dio, LV, 7.
3. Dio, LII, 15.

stitutorum memoriam abolere aut civitatem omnino mutare videatur; suam magistratibus dignitatem relinquat, vim vero ac potentiam imminuat [1]; nullum honorem, nullum titulum sibi deferri patiatur qui aut insolens sit, aut arrogantiæ speciem præbeat; vetet sibi statuas poni [2]; potestate nunquam abutatur, neve eam aliquid detrimenti accipere existimet, si minus voluerit quam potuerit [3]; omni superbia et fastidio abstineat [4]; Cæsaris aut imperatoris aut alio ejusmodi nomine contentus dominetur; ipsam denique regiam potestatem, amota verbi invidia, possideat [5] : » sic enim apud Dionem Mæcenatis oratio concluditur. Quoniam autem Dio, hæc omnia Mæcenatis dicta referens, si non ipsa verba expressit, saltem quo Mæcenatis consilia reciderint omnino significavit, non dubium est quin ad id Mæcenas auctoritatem, qua apud Augustum prævalebat, adhibuerit, ut eam civitas formam indueret, dubiam quidem et simulatione fraudibusque plenam, qua priscæ libertatis species servaretur, reipsa ad unius arbitrium cuncta regerentur : unde multum periculi post Augustum multæque calamitates generi humano coortæ sunt, ipsi autem Augusto longa et tuta imperii possessio fuit.

In hoc vero Mæcenas de genere humano non minus quam de Augusto bene meritus est, quod eum ad clementiam et lenitatem adhortari non desiit. Quodquidem pluribus et certissimis testimoniis declaratur.

1. Dio, LII, 20.
2. Ibid., 35.
3. Ibid., 38.
4. Ibid., 39.
5. Ibid., 40.

Confitetur enim iniquus Mæcenatis judex et maledicus Seneca « maximam laudem illi tribui mansuetudinis; pepercisse eum gladio, sanguine abstinuisse [1]. » Hanc quidem ipsam laudem Seneca elevat, quippe qui Mæcenatis lenitatem ad segnitiam lasciviamque transferat, et mollem fuisse eum contendat, non mitem. Quid vero? neminem sua ætate Seneca vidit qui profundas libidines cum immani crudelitate conjungeret, qui una mollis esset et immitis? Neque igitur ea Senecæ velut correctione multum minuitur laus illa mansuetudinis, et id præsertim notandum est, quod asper Mæcenatis obtrectator mansuetudinem ejus quasi invitus laudavit.

Etenim, præterquam quod erat Mæcenas natura lenis, nihil magis Augusto profuturum sensit, quam si ille clemens audiret. Quippe parum erat quamdam imaginem libertatis superesse, et principem se modestum gerere, si tyrannidem impotentia patefaceret; neque venia occupatæ reipublicæ speranda Augusto erat, nisi ipse ceteris quoque ignovisset. Tum ad pacem compositumque ordinem civitas non ante redire poterat quam cruore respergi desineret. Quapropter apud Dionem Mæcenas Augustum hortatur « ut potestate magis ad parcendum utatur, quam ad sæviendum; contumelias et maledicta, quantum possit, negligat; in puniendo neque iracundum se præbeat, neque inexorabilem [2]. » Necnon in alio Dionis loco legitur « Mæcenatem, quum plurima alia in Augustum beneficia contulisse, tum illud maxime, quod, quoties ille intemperanter irasceretur, placare eum Mæcenas soleret, et ad humaniores sensus

1. Sen. *Ep.* 114.
2. Dio., LII, 31.

revocare [1], » Multum enim erravere, quicunque Augustum quemdam finxerunt ab Octaviano omnino differentem ac mutatum, sibi novum ingenium repente induentem, et, qui atrocissimus olim triumvirorum repertus esset, ad nihil jam magis quam ad ignoscendum parcendumque pronum. Ea est subita indolis et animi mutatio quam natura non patiatur. Insita erat Augusto quædam animi duritia ac feritas, quæ, quamvis et propriæ utilitatis respectu, et amicorum, Mæcenatis præsertim, consiliis, prohiberetur quominus atrocius prorumperet, interdum tamen renovabatur et quasi recrudescebat. Nam, ut exemplum a Dione allatum memoremus, quadam die, quum Augustus in tribunali sederet, et, veluti sanguinem sitiens, plurimos capite jamjam damnaturus esset, Mæcenas, qui tum forte aderat, postquam ad principem ipse pervenire propter frequentiam spectantium non potuerat, in sinum ejus tabellam jecit, his verbis inscriptis : « Surge, carnifex ! » Quibus lectis, surrexit statim Augustus [2]. Eo igitur insigni Dionis loco Mæcenatem comprobatur et liberrime, quum principem reprehenderet, locutum, et ea libertate, nonnisi ut ejus animum ad clementiam revocaret, usum esse, et reprehensionibus denique plurimum apud eum valuisse. Nec immerito Dio addit nullo documento magis virtutem Mæcenatis manifestam esse, quam quod Augusto, licet ejus libidinibus obstaret, familiaris fuerit.

Nos vero non fugit anquiri posse cur Mæcenas, quum et tanta gratia apud Octavianum Cæsarem uteretur, et clementiam plerumque suaderet, non pervicerit ut pro-

1. LV, 7.
2. Dio, LV, 7.

scriptionibus ille, præsertim Ciceronis cæde, abstineret[1]. Verum potuit Octavianus, quum certum ac destinatum haberet præcipuos inter optimates tollere, quos sibi infensos fore prævidebat, Mæcenatis consilia aspernari. Nec vero eam fuisse Mæcenatis mansuetudinem contendimus ut severitati atque etiam sævitiæ, si qua inde percipi posset utilitas, obsisteret : ubi autem sævire inutile visum est, ne ultra sæviretur providit.

Sed hæc hactenus : Mæcenatem utique asseveramus præcipuum Augusti monitorem fuisse, et illorum potissimum consiliorum auctorem quibus ille rempublicam ordinavit, imperium tutum securumque retinuit, quidquid invidiosum esset vitavit, formam civitatis et mutavit, et mutatam dissimulavit, Romanorum animos sibi conciliavit, nedum offenderet, denique, quum reipsa solus omnia ad arbitrium regeret, minus rex et tyrannus quam reipublicæ restitutor ac patriæ pater audiit.

1. Vid. Frandsen, *Mæcenas*, p. 82.

CAPUT V

QUANTUM MÆCENAS, POETIS ET LITTERATIS FAVENDO, UTILITATI AUGUSTI CONSULUERIT

Restat ut ad illud veniamus quo maxime posterorum memoriæ Mæcenas commendatur, et de nobilissimo illo poetarum litteratorumque patrocinio paulisper disseramus. Quod quum notissimum sit et vulgatissimum, non multum huic novissimæ nostri operis parti immorabimur : hanc demum quæstionem instituimus, patrocinium illud, ad principatum Augusti stabiliendum novumque reipublicæ statum confirmandum, quantum profuerit.

Et quidem haud ita desipimus, ut Mæcenatem, quum litteris faveret, naturali præsertim studio ductum esse et animo obsecutum suo infitiemur. Scilicet ne memoremus quam curiose quidquid pulchrum esset aut rarum aut vetus, etiam gemmas et *beryllos* [1], appetiverit, quum ad

1. Quodquidem studium deridet Augustus in illo epistolæ ad Mæcenatem scriptæ fragmento quod legitur apud Macrob. *Saturn.*, 2, 4. « Vale, mel gemmeum Medulliæ, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, jaspis figulorum, *berylle* Porsennæ, carbunculum Italiæ; καὶ ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα mœcharum. »

omne voluptatis genus propenderet ille vir, cujus mens quoque delicata erat, doctissimi cujusque tum sermonibus, tum scriptis, valde delectabatur. Ipse pro virili parte scribebat, utpote qui opus *de cultu suo* [1], et dialogos, si non plures, at saltem duos [2], et quosdam, ut supra diximus, commentarios [3] composuerit, et carmina usque ad decimum librum perduxerit [4], et tragœdiam quoque tentavisse feratur [5]. Nam, quamvis epigrammata potius et nugas scriberet, magis quod venustum esset secutus, quam quod grande, tamen ad multa genera et diversissima se contulit, minus, nisi fallor, ut scriptorem ex professo ageret, quam ut scriptor, si voluisset, esse potuisse videretur. Inter eos Mæcenas annumerandus est qui aliena quidem opera callidissime æstimant ac judicant, in propriis autem operibus, quum non tam ingenio scribant quam voluntate, arcessiti plerumque et putidi reperiuntur. Musis enim non familiarissime utuntur, sed rationem tantum cum iis aliquatenus habent, neque eas, ut ità dicam, invisunt, nisi elegantiore cultu et munditiis, quasi ad lenocinandum, conspicui. Unde, propter dicendi affectationem et im-

1. Sen., ep. 114, ubi propter scribendi affectationem notatur aliquod hujus operis fragmentum, adeo obscurum ut vix intelligi queat. Vid. Just. Lips. ad hanc epistolam. — Cf. Rivinus, *Disput. altera de Mæcenate, ut bono cive*, § 15, et *Procœmium de Columella*, Poetæ latini minores, Lemaire, t. VII, p. 7, 8, 9. — De Mæcenatis operibus et fragmentis, vide Frandsen, *Mæcenas*, p. 147 sqq.

2. Charisius, *Institut. grammatic.* p. 119, ed. Putschii : « Mæcenas in *dialogo secundo.* »

3. Plin. *Hist. nat.* VII, 46.

4. Charisius, p. 60, ed. Putschii : «.... ut Mæcenas in *decimo...* »

5. Priscianus, *Gramm*, l. X, c. VIII, p. 902, ed. Putschii : « Mæcenas in *Octavia*, » .... alii quidem legunt : in *Octavo*. De quo vid. Frandsen, *Mæc.*, p. 162.

plexas elocutionis ambages et « calamistros, » Mæcenatem Seneca[1] Tacitusque[2] notaverunt. Sed ea quoque erant vitia quæ illum summo Musarum amore teneri testarentur.

Cum illo autem, quo Mæcenas flagrabat, studio, utilitas Augusti mire congruebat. Primum, publicæ tranquillitatis restitutæ quasi testes erant tot poetæ et auctores, qui pacis artibus post tantas bellorum civilium tempestates securi indulgebant. Viderant Julii Cæsaris et Pompeii æquales Lucretium poetam, infelicissimi sæculi calamitatibus adeo commotum, ut, mente alienatus, flore ætatis mortem ipsi sibi conscivisse feratur. Augusto vero principe, quantum mutata in melius tempora videbantur, quum Virgilius, Horatius, Varius, omni honestissimorum studiorum laude florentes, « sapientum templa serena » placide tenerent !

Dein illa litterarum ubertas pro ornamento erat, quo Augusti principatus splendide nobilitaretur, Romanorumque oculi perstringerentur. Nam postquam Græcia subacta erat, nunquam in Urbe defuerant qui Romam, ut virtute militari, ita litterarum artiumque laude, haud inferiorem Græcia evadere vehementer cuperent. Tunc vero, quis non superbiisset, quum Virgilius Theocrito, Hesiodo, Homero unus æmularetur, Archilocho Pindaroque Horatius, et is denique clarissimorum ingeniorum proventus esset, ut ne Athenæ quidem feraciores fuisse viderentur? Quod spectaculum quum novum apud Latinos et inauditum esset, multum decoris et gratiæ ad principem redundabat, quasi ad eum per quem litteræ

1. Sen., ep. 114. — 2. Tac. *Dial. de Orat.*, 26.

quoque romanæ ad maturam quamdam absolutamque perfectionem pervenerant.

Denique Mæcenas optime intellexit fore ut tacentis eloquentiæ locum litteræ postea tenerent, et ad scriptores ea auctoritas transiret quæ penes oratores antea fuerat. Necesse est enim aliquod esse in omni civitate veluti momentum, quo plurimorum animi ad laudandum aut ad insimulandum, ad favendum aut ad invidendum inclinari soleant. Integra scilicet libertate, opinionum vulgi moderatrix et quasi regula eloquentia forensis esse consueverat. Postquam vero, sublatis ab Augusto concionibus, forum conticuerat, timendum in posterum videbatur, ne amissæ libertatis torpentisque reipublicæ tædio multi laborarent et novæ dominationi adversarentur, præsertim si contumaciæ fautores fierent animosque incenderent qui ingenio et arte scribendi pollebant. At contra, quum ex illo doctissimorum hominum globo nulla vox exoriretur quæ non Augusto gratias ageret felicitatemque generi humano restitutam celebraret, crevit in dies civium erga Augustum benevolentia, nec nisi perpauci superfuerunt qui mutatum reipublicæ statum minus æquo animo ferrent. Plures in eam prope sententiam se convertebant quam a Materno enuntiatam Tacitus in *Dialogo de Oratoribus* fingit: « malle se securum et secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud Augustum gratia careret, neque apud populum romanum notitia..., quam inquietam et anxiam oratorum vitam...; esse eloquentiam alumnam licentiæ, comitem seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumacem, temerariam, arrogantem, quæ in bene constitutis civita-

tibus non oriatur... ; quoniam igitur nemo eodem tempore assequi possit magnam famam et magnam quietem, bono sui sæculi cuique, citra obtrectationem alterius, utendum [1]. » Nec aliter clarissimus vir Asinius Pollio, unius dominationi antea infensus, mox Antonii partes amplexus, sed Mæcenati idem mutua amicitia et communi litterarum studio conjunctissimus, quoniam Augusto neque inservire volebat, neque jam adversari, ad Musas otiosus se contulit, et, qui civilibus orationibus juvenis nobilitatus erat, scholam senex aperuit, in qua declamare adolescentes doceret, primusque bibliothecam publicam instituit, cum ipso Libertatis atrio continentem, ac litteras in vicem Libertatis succedere quasi significantem [2].

Ideo scriptores et poetæ, ut vim illam ad regendos populi animos, quam forensis eloquentia habuerat, sibi vindicaverunt, ita ejusdem desiderium levabant. Cujus ingeniorum voluntatumque immutationis et perspicax provisor Mæcenas fuit, et præcipuus auctor. Nam scriptores et poetas quam plurimos adscivit, fovit, in summo honore habuit. Ac, ne fastidii superbiæque suspectus foret, neminem sodalitio, dummodo dignus esset, exclusit, neque solis Virgilio Horatioque, maximo ingenio poetis (quibus quam familiariter usus sit, omnibus notum) benevolentiam reservavit. Propertium quoque et Domitium Marsum [3], alterum elegiis, alterum epigram-

1. Tacit. *Dial. de Orat.*, 13 et 40.
2. Plin. *Hist. nat*, VII, 31 (30); XXXV, 2. — Isidor. *Origin.*, VI, 4.
3. Vid. Weichert, *De Domitio Marso poeta*, apud *Poetar. latin. reliq.*, Lipsiæ, 1830, p. 241. — Cf. Walckenaer, *Histoire de la vie et des poésies d'Horace*, t. I, p. 173, 380, 381. — De Domitio Marso haud semel Martialis loquitur; epig. VIII, 56, etc....

matibus claros, et Varium in epica, mox in tragica arte excellentem [1], et Fundanium comicum [2], et rerum scriptorem Furnium [3], et rhetorem Heliodorum, « Græcorum longe doctissimum [4], » et Fuscum Aristium [5] Melissumque [6] grammaticos, et omnes denique qui in quoque genere præstabant in amicitiam admisit, ita ut nulla Musa esset quæ non aliquem alumnum inter Mæcenatis sodales videret. Dum Bavios amovebat et Mævios, aut quisquis, ad præsentem ætatem obtrectandam,

> virtutem æstimat annis,
> Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit [7];

illos vere ingeniosos munifice habebat, pecunia donabat, necessitate « quotidie aliquid contra animum faciendi [8] » liberabat, et iis denique cum otio et mundo victu scribendi quoque facultatem præbebat. Qui, tantorum beneficiorum memores, laudes tum in Mæcenatem, tum in principem cujus amicitia Mæcenas inniteretur, vulgo congerebant, et novam civitatis formam, utpote sibimetipsis acceptam et commodam, etiam ceteris commendabant. Quemadmodum igitur optimatibus et

1. Vid. Weichert, *de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus.* Grimæ, 1836.
2. Hor. *Serm.*, II, VIII.
3. Hor. *Serm.*, I, x, 86, ibique Porphyr. et intpp. — Plut. *Ant.*, 76. — Walckenaer, op. laud., t. I, p. 404.
4. Hor. *Serm.*, I, v, 2.
5. Hor. *Carm.*, I, 22; *Serm.*, I, IX, 61; *Ep.*, I, x.
6. Sueton., *de Illustr. Grammat.*, 21. — De omnibus illis poetis ac litteratis, vide Weichert varia opuscula, et Patin, *de la Poésie épique chez les Romains au temps de César et d'Auguste.* Revue contemporaine, mars 1854.
7. Hor. *Ep.* II, I, 48.
8. Tacit. *Dial. de Or.*, 13.

honorum appetentibus mos antea fuerat clientes quam plurimos habere, quorum ope et benevolentia accepti populo fierent, ita novum patrocinii et clientelæ genus Mæcenas excogitavit et instituit, quo principi animi prope omnium obstringerentur.

Sed ne doctissimorum clientium ingenia deliciis hebetescerent, neve otium in segnitiem verteret, Mæcenas eos ad scribendum hortabatur et stimulos cessantibus addebat. Neque ad laborandum modo eos impellebat, sed ad ita laborandum, ut, vel Augustum laudando, vel opera sua ei dedicando, uberrimum gloriæ et utilitatis fructum principi præstarent. Nam ut de Vario taceam *Panegyricum Augusti* [1] scribente, aut de Propertio *Apollinem Actiacum* [2] elegiis celebrante, Horatium videmus, quamvis « jam rude donatum » pigeret

iterum antiquo se includere ludo [3],

tamen, obsecrante Mæcenate, carminibus jam antea a se compositis quartum librum addidisse, in quo plura leguntur ad Augustum extollendum spectantia [4]. Atque ut aperte proferam quod sentio, magis propter Mæcenatem Augusto favit Horatius, quam propter Augustum ipsum. Bruti enim Cassiique partes antea amplexus, adversus triumviros apud Philippos pugnaverat : imo versibus primum Octavianum ipsumque Mæcenatem lacessivisse fertur [5]. Mæcenatem quidem postea adeo

1. Weichert, *de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus.*
2. Prop. IV, vi.
3. Hor. *Ep.*, I, i, 2.
4. Hor. *Carm.* IV, ii, iv, vi, ac præsertim, v, xiv, xv.
5. *Epod.* iv, ibique intpp. — *Serm.* I, ii, 25. *Malthino* Mæcenatem designari docet Porphyrion, cui assentitur Weichert, *Poet. Latin. Rel.*, p. 456, adversante Meibomio, *Mæcenas*, c. xx, 3, p. 122.

dilexit, ut, defuncto illo, superstes vix aliquot menses esse potuerit [1] : in Augustum vero non propensissima unquam voluntate videtur fuisse. Nam quum princeps Mæcenati hanc epistolam scripsisset : « Horatium nostrum a te cupio abducere : veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis juvabit; » negavit Horatius se facturum [2]. Nullam autem epistolam prius Augusto misit quam ille subirasceretur et scriberet : « An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse [3] ? » Hominem igitur, si ad naturalem voluntatis inclinationem respexeris, non ita ipsius Augusti studiosum Mæcenas principi adeo conciliavit, ut carminibus ille Augustum splendidissime cecinerit; victorias gloriamque ejus cœlo æquaverit, et apud posteros denique tanquam nimius assentator, falsa quidem calumnia, sed speciosa tamen, haud semel insimulatus sit.

Quod si ad Virgilium te contuleris, neminem senties reperiri posse apud quem Mæcenatis auctoritas facilius deprehendatur. Quum enim in amicitiam Virgilium Mæcenas accepisset varia operum genera tentantem, et quam demum viam ingrederetur adhuc incertum, postquam intellexit agrestes Musas Mantuano poetæ benignissime favere, opus illi proposuit, tum ipsius ingenio, tum necessitatibus temporum maxime accommodatum. Nam propter civiles discordias ita agricultura neglecta desertaque erat, ut in tota prope Italia campi squalerent et arva plerumque in vastas solitudi-

1. Sueton. *Horatii vita.*
2. Ibid.
3. Ibid.

nes converterentur. Quum enim sæpissime veteranorum novæ coloniæ ex arbitrio victoris deducerentur, et nihil tuti esset, nihil securi, quis possessor agrum coluisset, quem postero anno ne suum quidem fore prævidebat? quis labori illi indulsisset, quem nemo suscipere potest, nisi sit, ut ait Cicero, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis defensus [1]? Quum igitur Augustus et Mæcenas constituissent vestigia quoque bellorum civilium delere, non melius res componi posse arbitrati sunt, quam si ad agrorum culturam plerorumque studia revocarentur. Præterea morum veterisque disciplinæ et religionis restitutorem Augustus se præbebat : quæquidem omnia apud agrestes maxime florere quis nescit? Quorum principis consiliorum quum conscius Mæcenas esset, optime se facturum sensit, si ad recreandum vetus illud et exoletum agrorum studium Virgilii ingenium posset adhibere. Quemadmodum igitur post miserrima et turbidissima tempora Hesiodus ad placidos illos et salubres agriculturæ labores æquales suos revocaverat, ita et Virgilius, Italia tam diuturnis discordiis vastata et populata,

Ascræum *cecinit* Romana per oppida carmen [2].

Mirabile prorsus carmen ac vere Romanum, quo pulcherrimis versibus ars illa ornaretur et commendaretur, quam Fabricius Cincinnatusque exercuerant, quam Cato Ciceroque pariter laudaverant [3], qua denique in-

1. *Pro lege Manilia*, 6.
2. *Georgic.*, II, 175.
3. Vid. præsertim Cic. *Cato major sive de Senectute dialogus*, 15 sqq.

creverat populus Romanus et ad summum robur pervenerat.

> Hanc vitam veteres olim coluere Sabini;
> Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit
> Scilicet, et rerum facta est pulcherrima Roma[1].

Cujus operis suscipiendi Mæcenatem Virgilio auctorem fuisse ipse Virgilius docet, quum se Mæcenatis « haud mollia jussa[2] » exsequi fateatur, neque sit ullus ex quatuor *Georgicorum* libris in quo Mæcenas non invocetur.

Neque intempestivum erit si quasi prætereuntes memoraverimus illud operis genus adeo Mæcenati acceptum fuisse, ut ei *Cepurica*, sive *de Hortis* carmen, Sabinius Tiro, haud secus ac Virgilius *Georgica*, dedicaverit[3].

Sed, ne a Virgilio discedamus, haud scio an ejus opera attente et ex ordine inspicientes, continuum quemdam veluti progressum deprehendere possimus, quo, magis ac magis Augusti victoriis et increscente fortuna affectus, ad summum ejus studium summamque admirationem pervenerit.

Nam in *Bucolicis*, licet Augusto, a quo suus poetæ ager restitutus esset, maximæ laudes tribuantur, superest tamen acerba quædam discordiarum civilium memoria, ut illa vox :

> Barbarus has segetes[4]!...

1. *Georgic.* II, 532
2. Ibid., III, 41.
3. Plin. *Hist. nat.*, XIX, 57. Quam spatiosos amœnosque hortos ipse Mæcenas in Esquiliis habuerit, satis notum. Vid. Hor. *Serm.*, I, VIII; Suet. *Tib.*, 15; Dezobry, *Rome au siècle d'Auguste*, t. II, p. 117.
4. *Ecl.* I, 72.

non sine dolore ac fremitu quodam velut erupisse videatur.

Jam vero *Georgica* quamvis optime cum Augusti consiliis congruerent, et ipse carminis initio inter deos et astra collocatus esset, tamen non ad laudes ejus materia ipsa pertinebat. Necnon totum carmen aliquid mœstum spirat et flebile et anxium, quum recentium calamitatum imago poetæ obversetur, et metus supersit ne novæ tempestates ingruant. Quapropter, quum aut sapientes ac philosophos, aut rure viventes fortunatos Virgilius denuntiat, tanquam perfugium, ubi tot malorum spectaculo ac miseratione liberetur, quærit, ac pacis tranquillitatisque bona magis exoptat dubia, quam parta ac certa lætatur [1].

Æneis contra in id tempus incurrit, quo, pacatis civilibus discordiis omnibusque hostibus debellatis, Roma gloriam et desuetam felicitatem receperat. Vidit scilicet alter Hesiodus in toto terrarum orbe nationes ac populos, imperante populo Romano, concordia et quiete fruentes quas nunquam antea experti erant. Tunc illud carmen excogitavit quo maxima gloria ad juvenem redundaret, quodam veluti numine deorum reservatum, per quem et ætas aurea renasceretur, et fortunæ populi Romani cumulus imponeretur. Nam id præsertim significat *Æneis*, res Romanas et ab Ænea, primo Juliæ gentis auctore, initium cepisse, et per Augustum, novissimam Æneæ progeniem, ad fastigium pervenisse : unde populi Romani fata cum fatis gentis Juliæ ita conjunguntur et connectuntur, ut sive imperii Romani incremento

1. Vide præsertim I, 456 sqq; II, 458 sqq.

principatus Augusti præparari, sive principatu eodem incrementum Romæ consummari videatur.

Quis vero dubitat quin illius carminis ineundi conscius fuerit Mæcenas, et inchoatum laudaverit, et omni incitamenti genere aliquam scribendi alacritatem poetæ addiderit, et, quod maximum est, tantam illam rerum ab Augusto gestarum admirationem ei magis ac magis injecerit, qua *Æneidos* prope omne institutum veluti continetur ?

Ac, ne quis verba nostra prave interpretetur, non contendimus Mæcenatem id effecisse ut Virgilius et Horatius ceterique excellentes poetæ exsisterent, ac longe ab eo absumus ut Martiali assentiamur illum versum scribenti :

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones [1].

Imo Mæcenates litteris in præsens quidem prodesse, in posterum vero nocere crediderim. Nam illo patrocinio poetæ ad id adducuntur ut nihil scribant nisi ad assentandum et ad lucrifaciendum, utque in circulis jam conventibusque semper versantes, a natura ac veritate magis in dies abhorreant, et aut elaborata quadam concinnitate, aut ampullis et ambitiosa jactantia plausus audientium in recitationibus captent : unde non minus quam eloquentia, poesis in declamationem evadit, neque Marones jam reperire est, sed Ovidios ac mox Lucanos, et, ut ad eum ipsum cujus versum memoravi redeamus, Martiales. Illud demum in gloriam Mæcenati vertendum est quod insignes illos poetas Virgilium, Varium, Horatium

1. Martial. *Epigr.*, VIII, 56.

mira quadam judicii subtilitate dignovit primus et e vulgo litteratorum veluti eduxit : quamobrem ab auctore *Panegyrici ad Pisonem* maxime et ornatissime laudatur :

Ipse per Ausonias Æneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum,
Mæoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, et sterili tantum cantasset avena,
Ignotus populis, si Mæcenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit numina soli.
Mæcenas tragico quatientem pulpita socco
Evexit Varium; Mæcenas alta tenebris
Eruit et populis ostendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati [1].

Illi autem præstantissimi vates, ceterique omnes quos in patrocinium Mæcenas susceperat, dum liberalitate ejus et benevolentia otium illud usurpabant quo ingenium strenuissime exercere possent et ad summam perfectionem perducere, ad id præsertim ab eodem informati sunt et perpulsi, ut Augustum diligerent, celebrarent, extollerent, ac novæ denique dominationis veluti incunabula faustissimo nobilissimoque suo cœtu circumdarent et quasi tuerentur.

1. *Paneg. ad Calpurnium Pisonem*, v. 218 sqq. — De hoc opusculo, quod nonnulli Virgilio aut Ovidio, plerique Lucano, quidam etiam Saleio Basso adscribunt, vide Weichert, *de L. Vario poeta*, excursus II.

EPILOGUS

Jam colligenda sunt breviter quæ supra explicavimus.

Primum Mæcenas Octaviano, post mortem Julii Cæsaris, hereditatem dictatoris sibi vindicanti, et viam, qua ad summum rerum fastigium perventurus erat, ingredienti, statim socius fuit: quum vero major natu esset, et nobilissimo loco oriundus, et in equestri ordine insignis, haud dubium est quin a primis illis iisdemque difficillimis temporibus optime de eo meritus sit.

Donec, devicto Antonio, finis bellis civilibus imponeretur, Mæcenas, quoties colloquendo aut paciscendo opus erat, Octaviani legatus fuit, et singulari quadam calliditate ad bonos exitus consilia perduxit quibus triumvir æmulorum suorum conjunctionem præpedire aut dirimere, singulos vicissim devincere, et summam denique rerum solus obtinere constituerat.

Absente Cæsare, Mæcenas, Urbi totique Italiæ præpositus, civiles tumultus compescuit, conjurationes deprehendit ac labefactavit, Urbanas denique Italicasque res, quanquam difficultatibus undique circumventus

ita composuit, ut et Cæsaris reverentiam omnibus injiceret, et populi favorem sibi conciliaret.

Restinctis tandem civilibus bellis, Mæcenas, cum Augusto familiarissima consuetudine conjunctus, et ab eo sæpissime de rebus publicis quid sentíret interrogatus, optime quæ facienda essent admonuit, ac novam reipublicæ gerendæ rationem et formam magna ex parte excogitavit. Tum principem, ne potestatem regiam affectare aut civitatem mutare videretur, deterruit, ad iracundiam et crudelitatem pronum cohibuit, illius denique modestiæ auctor fuit qua principatum Augustus sine offensa tot annos toleravit.

Postremum, ne principatus ille aut ornamento ullo aut subsidio careret, Mæcenas poetas et litteratos principi obstrinxit et honestissimo patrocinio fovit, quorum scriptis operibusque pulcherrimis Romanorum animi admiratione percellerentur, amissæ libertatis dolorem deponerent, et de novo civitatis statu lætarentur. Itaque illo ipso tempore, quo, aliquantulum ab Augusto neglectus, in otium privatamque vitam se contulerat, non minus principis commodis consuluit quam quum aut Antonium Tarentina pace ludificaretur, aut populi consternationem in Urbe castigaret, aut sapientissima consilia in secretis deliberationibus expromeret.

Hæc sunt Mæcenatis in C. Octavianum Augustum merita: quæ si quis recogitaverit, quantum Mæcenas ad condendum confirmandumque principatum valuerit, facile judicabit. Atque ut paucis verbis quod vere proprium Mæcenatis est ac peculiare comprehendamus, ad hoc maximum momentum habuit, ut novum reipublicæ statum Romanis acceptum faceret: quæcunque ad se-

dandos, conciliandos, alliciendos animos pertinent, eorum plurima Mæcenati adscribenda sunt. Neque id in animo est ut sive Augustum, sive Agrippam sua laboris gloriæque parte fraudemus, aut Mæcenatem unum principatus conditorem exstitisse contendamus : id tantum asseveramus eum Mæcenatem fuisse, quo si Octavianus caruisset, principatum aut non adipisci potuisset, aut non retinere, aut non feliciter gerere.

Vidi ac perlegi.
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VIII cal. april. ann. MDCCCLXXIII.
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,
PATIN.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
A. MOURIER.

INDEX RERUM

SCEAUX. — Ex typis M. et P.-E. Charaire.

1782